J. Abadie
de Corpore calboso hippocratis

10014/P

10014 /P

53050

DE
CORPORE CRIBROSO
HIPPOCRATIS
SEU DE
TEXTU MUCOSO BORDEVII
DISSERTATIO MEDICA,

QUAM in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, Deo duce & auſpice Dei-parâ, tueri conabitur, JOANNES ABADIE, è Loco Sancti Andreæ de Cubſaq, Diœceſis Burdigalenſis, Artium Liberalium Magiſter, & in Almâ Univerſitate Monſpelienſi, jamdudùm Medicinæ alumnus, die menſis anni 1774.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

MONSPELII;

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXIV.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

ERRATA.

AG. 5. lin. 8. præcipuè notantur , *leg.* præcipuè notavit,
7. lin. 2. delibaſſe , *leg.* ſubodoraſſe.
7. lin. 10. Notæ Iæ. qua in pleriſque , *leg.* quæ in pleriſque.
em lin. 1. Not. 3. inſenſiblomente , *leg.* inſenſibilmente.
3. ejuſdem Not. filoſofii , *leg.* filoſofi.
8. lin. 5. Not. com' aucora , *leg.* com' ancora.
italæ pag. 8. *poſt hæc verba* canali ſi oſſervi , *ſequentia addantur quæ uriâ Typographi prætermiſſa ſunt.*
i ſolamente adunque ſi aſſorbiſcono , e ſi tramandano per i meati , o aletti oſcuri ed incoſpicui del noſtro corpo tante ſorti di liquori ; ma gna credere ancora che coteſti oſcuri canali formino dentro di noi una di oſcuri e lunghiſſimi meati , per entro de' quali ſcorrimenti aſſai hi , ed aſſai più ſolleciti , che per entro i canali manifeſti non ſi fanno , nello ſtato ſano , come nel morboſo , ſi oſſervano. Ed a queſte mara- e ebbe peravventura l' occhio il grande Ippocrate , quando diſſe , che l' noſtro corpo al di fuori ed al di dentro tutto tutto ripieno di gli. *Moſca part.* 1. *tom.* 1.
9. lin. 15. innoteſcit , *leg.* innoteſcunt.
10. lin. 14. glutiuoſo , *leg.* glutinoſo.
10. lin. 6. Not. ſolida ſunt. in compaſto , *leg.* ſolida ſunt in compacto.
11. lin. 7. §. V. & , quoad centrum ſeu nucleum organi , *leg.* & , quod centrum ſeu nucleum organi ſpectat.
12. lin. 15. §. VI ſe babent , *leg.* ſe habent.
12. lin. 4. §. VII quiqne , *leg.* quique.
15. lin. 11. mncoſi , *leg.* mucoſi.
16. §. XIII. lin. 5 quoad meatus , *leg.* quantùm ad meatus.
17. lin. 13. re vera , *leg.* reverà.
17. lin. 2. Not. 2. extenuautur , *leg.* extenuantur.
25. lin. 8. Not. 3. ohtinet , *leg.* obtinet.
32. lin. 2. Not. cum enim ſſatus , *leg.* cum enim flatus.
lin. 7. quoe , *leg.* quæ.
3. lin. 34. refferri vult. *Helmontius* , *leg.* referri vult *Helmontius.*
4. lin. 9. concuritur , *leg.* concutitur.
o. lin. 5. & 6. Not. deſicendere , *leg.* deſcendere.
lin. 7. pſis , *leg.* ipſis.
6. lin. 34. diſnoſcat , *leg.* dignoſcat.
8. lin. 6. Not. 3. elogii hiſtoricis , *leg.* elogii hiſtorici.

CÆTERA EMENDABIT LECTOR BENEVOLUS.

DISPUTATURI.

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.

R. D. ANTONIUS GOUAN.

R. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus Profeſſor Emeritus.*

PROŒMIUM.

INTER præſtantiora Dogmata quibus olìm éminuit ac etiàm nùnc inſignitur Medicina Græcorum, ſeù medicina obſervationis, præcipuè notanda veniunt illa quæ verſantur circà *Corpus Cribroſum*, *motum humorum*, *Criſes* ſeù expectationem in curandis morbis, *Artem Sphygmicam* ſeù *Pulſus*, & *Topica* pleraque. Corpus Cribroſum prodidit, prædicavit magnus HIPPOCRATES, de hoc multa perquàm meditatè tenens, & forsàn ex Colloquiis cum DEMOCRITO ſatis; notavit & etiàm motus varios humorum; Criſes & Topica itidèm præcepit expoſuit; de Pulſu quædam tantùm adjecit; ſed in hoc ab HEROPHILO aliisque, præ cæteris à GALENO, egregiè ſuppletus eſt. Talibus fulcris innixa floruit ac penè ſtetit Medicina, nimirùm à ſummi ſui inſtitutoris ævo, per ſubſequentia ad GALENUM tempora. Exindè verò in ea temporis eremo quæ Barbarorum impetum in Romanum imperium ſequebatur, labefactata in dies corruebat penitùs que fortè concidiſſet ars medica, ni Arabes aliquantulùm illam præcipitantem ſuſtinuiſſent. Scholas condiderant iſti, potiſſimùm in Alexandria civitate & in Hiſpaniis per-celebres. Hìc medicina Græcorum non immediatè quidèm, ſed ex libris GALENI primùm edocta, in poſterùm, redeptis plurimis Achaïcis Manuſcriptis, propiùs à fonte nituit; licet tamen genuini illius mores, ingenii gentilitii caractere apud gentem Arabicam conſtantèr inficerentur. Extinctis præfatis Arabum Scholis, ad Monſpelienſes & Salernitanos confugit medicina; hæc namquè in Auſtrali Europæ regione ſemper delectari viſa eſt, ibique incunabula habuit ubi primùm huic parti orbis affulſit. Porrò MONSPELIENSIS ACADEMIA tunc temporis non parvam celebritatem jàm adepta erat, ac tùm ob vicinium cum Hiſpanicis regionibus, tùm ob inſigne quod Urbs hæc-ce cum variis Orientis plagis, præſertìm cum Alexandria, commercium alebat, codices Græcos & Arabes cumulatìm recepit collegitque; undè brevi Salernitanam Scholam obſcuravit, & facta eſt veluti focus generalis ad quem omnes Græcorum & Arabum medicæ opes côactæ congeſtæ ſunt. Hìnc GUIDO DE CAULIACO RAIMUNDI DE MOLERIIS hujus-ce Academiæ Cancellarii diſcipulus, ac ſubindè plurium Romanorum Pontificum Archiater, veram ac legitimam artem chirurgicam, hucuſquè temporum acerbitate denſiſſimis tenebris obcæcatam, totæ Europæ patefecit aperuit. Chirurgos jàm ex ARNALDO DE VILLANOVA Profeſſore Monſ-

pelienſi, & fortè anteà, inſtituerat (1) diligentiſſimèque edocebat hæc eadem Medicorum Schola, quod quidèm aliquamdiù poſt imitatione conſecuta eſt ACADEMIA PARISIENSIS, nempè duobus Doctoribus negotium dedit ut eos qui ſe de hac arte exercenda profitebantur, anatomiam cæteraſque Chirurgiæ partes edocerent, GUIDONIS DE CAULIACO & aliorum libros, linguâ vernacula his-ce interprettarentur &c. (2). Sic ideò veluti prima ſanctuaria Medicinæ legitimæ imò & veræ Chirurgiæ in Europa præbuiſſe, jure & meritò laudem ſibi adſciſcere valet MEDICORUM MONSPELIENSIUM ACADEMIA.

Intereà tamen dùm ARNALDUS DE VILLANOVA, GORDONUS, GUIDO DE CAULIACO, JOANNES DE TORNAMIRA, VALESCUS DE TARENTA, RONDELETIUS, L. JOUBERTUS (3), HUCHERUS, ANDRÆAS LAURENTIUS aliique Priſcorum veſtigia prementes factis & ſcriptis orbem illuſtrabant, nonnullis in aliis Scholis, potiſſimùm in per-illuſtri PARISIENSI FACULTATE, ac Nobilibus PATAVINA & BONONIENSI ACADEMIIS, viri præſtantiſſimi adornabantur qui famam æternam & meritiſſimam his-ce conciliavere. Præ cæteris Schola Pariſienſis DURETUM, HOLLERIUM, BALLONIUM, JACOTIUM, &c. Viros immortales habuit qui in medicina Hippocratica exponenda ſagaciſſimos doctiſmos que, in ſtabilienda ac promovenda conſtantes & diligentes admodùm ſe præſtiterunt; ità ut Medici Galli, generatìm loquendo, Primi, nemine refragante, habendi ſint qui doctrinam Hippocraticam, ſaltèm in Europa, feliciùs excoluerunt edocuerunt que, ac veterum Praxim theoriarum ferè ubiquè vagantium labe immunem tutiùs ſervaverunt. Speciatìm verò Monſpelienſes Medici, inſignioribus medicinæ Græcorum partibus ſuperiùs indicatis incubuerunt, eorum que Elucubrationes, ſociali affluviô, Græca illa Dogmata ultrà omnem ſpem ampliaſſe ac perfeciſſe videntur. Enim verò nemo neſcit quantùm in tractandis *Criſibus* felices fuerint & arti profecerint GERARDUS DE SOLO, GORDONIUS, A. LAURENTIUS. Vulgata etiàm ſunt quæ de hac eadem materie in *Encyclopedia* ſcripta con-

---

(1) Circà annum 1295.

(2) Vid. *Éloge Hiſtorique de la Faculté de Médecine de Paris*, *pag.* 29.

(3) *Anutius Foëſius*, Facultatis Pariſienſis Bacalaureus, & antiquior *Hippocratis* interpres de quo ſe meritò jactat prædicta Facultas, *Laurentium Joubertum* magnis laudibus extollit in ſuis commentariis; *iſtum locum*, ait ille, *multi Doctiſſimi hujus ſæculi viri excuſſerunt*, *imprimìs que* Laurentius Joubertus *in ſuis Paradoxis* &c. (Commentar. in lib. 1. Hippoc. de morb. pag. 691.)

ſignantur (1). Norunt paritèr omnes quæcumque de cauteriis, veſicantibus & aliis topicis memoriæ prodiderunt GUIDO DE CAULIACO, GORDONIUS, FEYNEUS, RIVERIUS & alii, nec-non quæ iterùm in *Encyclopedia* de Medicina *Epiſpaſtica* paſsìm inſerta leguntur (2). Sic ampliùs LAURENTIUS JOUBERTUS primus ex ARÆTEO veſicans ſuprà latus dolens, in morbis pectoris adhibere auſus eſt. Sic valida hæc-ce præſidia quotidiè à nonnullis ex noſtris Doctoribus felicitèr adhibita vel renovata cernimus (3). De fluxionibus aut Catarrhis, veterum more diſſeruere A. LAURENTIUS & ILLUSTRISSIMUS BORDEVIUS. VARANDÆUS, VIEUSSENSIUS ad diſquirendam Pulſuum cauſam inſudarunt, Experimentum Galeni iterando quod viciſsìm, ejuſdem diſquiſitionis gratiâ, adhibuerunt HARVÆUS, PLEMPIUS, THOMAS CORNELIUS CONSENTINUS cæterique. Aſt gloria ILLUSTRISSIMUM LAMURE manebat, ex hoc Experimento, inutili vel inepto prope-modùm ab omnibus habito, nitidam Pulsûs Theoriam eruendi ac ſtabiliendi; undè pronum eſt arteriarum pulſum à *Loco-d motione* quadam totius arterioſi ſyſtematis, ex præcedenti commotione vel *Loco-dimotione* peculiari cordis produci, neutiquàm verò à diſtentione tunicarum aut ab iſta paululùm fictitia ampliatione diametri vaſis quam *Diaſtoles* vocant, per impellentem columnam ſanguinis, ut cenſebat medicorum vulgus. Hujus-ce veſtigia ſecutus eſt CLARISS. Doctor LAFOSSE qui arteriarum pulſus in *Loco-dimotione* quâdam peculiari ac veluti *partiali* ramorum diverſorum arterioſi ſyſtematis, non ſine veri ſpecie, iterùm reponi vult. Demonſtrat enim quàmplurimas dari arteriarum anaſtomoſes in corpore. Atqui binæ columnæ ſanguinis quæ ambæ ramum utrumque cujuſlibet anaſtomoſis percurrunt, dùm ſibi invicèm occurrunt & alia in aliam impingit, tunc ramum utrumque cum ramuſculis appendentibus commovent aut ſubſilire faciunt, datô ſimul ambarum columnarum ſanguinis retroceſſu; undè arteriarum Micatio, pulſus; quæ quidem ſententia, plurimis experimentis autoris fulcitur. Idem ſumto de truncis majoribus; adſunt enim divaricationes, inflexus varii quibus ſanguis in illis retrocedere plus minus-ve cogitur. Retroceſſum vel regreſſum iſtum ſanguinis in

---

(1) Ad verbum *Criſe*.

(2) Ad verbum *Veſicatoires*, ſub quo plura & nimis quidèm properantèr congeſſit Encyclopediſta, quæ minùs directè ad veſicantia propriè dicta pertinent, verùm quæ in Epiſpaſticorum cenſu unà cùm veſicantibus facilé reponenda ſunt. Vid. etiàm ad verba *Ventouſes*, *Uſtion* &c.

(3) Primus in hac civitate *Moxam* adhibuit Celeberrimus Doctor *Farjon*, & in Xenodochio *D. Eloyſii* modum adhibendi præcepit.

eodem vaſe, imò & contrà proprium pondus aſſurgentis, jàm obſervaverat in pectoris vaſis ILLUST. LAMURE, & huic regreſſioni ſanguinis motus cerebri omninò deberi demonſtravit. ILLUSTRISSIMUS ARCHIATRORUM COMES SENAC, hujus-ce Univerſitatis Doctor & alii quàm-plures, hos ſanguinis retroceſſus in eodem arteriæ trunco non ſemèl obſervaverunt. Sic motum humorum, non ſinè artis emolumento peculiaritèr ſcrutati ſunt Monſpelienſes Medici. Quod verò ad Doctrinam *Pulſûs* Clinicam ſeù pathologicam attinet, neminem latet hanc-ce Doctrinam jàm à non-nullis annis in Hiſpania renovatam, exindè à Monſpelienſibus medicis adeò felicitèr excultam fuiſſe, ut priſcos medicos hodiè in hac Praxeos parte principe longè ante-ire videantur Neoterici. Præ manibus omnium extant iis que teruntur opera quæ circà ſphygmicam artem, nupèr a Doctoribus noſtris publici juris facta ſunt. Tandem *Corpus Cribroſum*, aliam præſtantiſſimam medicinæ Græcorum partem, ut vidimus, præbet quam medici Monſpelienſes, jure quodam patriô, ſibi paritèr adſcivere, nimirùm diverſis diſquiſitionibus & laboribus vulgatiſſimis quæ ampliùs in *introductione* hujus diſſertationis declarabuntur, cum aliis bene multis quæ aſſertum iſtud invictiſſimè probant. Ex huc uſquè igitur prolatis patet, quod inter Medicos Gallos Primarios Medicicæ Græcorum Reſtauratores, Monſpelienſes, omni ævô peculiaritèr præfatæ medicinæ præſtantiora Dogmata excoluerint, ac aſſiduò praxim his adornaverint &c. Intereà, licèt hæc veritas, ſolâ, ut ità dicam, rerum aut factorum quæ retulimus appellatione, ſat ſuperquè innoteſcat, nihilominùs privata Hiſtoria cujuſlibet ex quinque ſuprà-dictis medicinæ priſcæ ramis, neceſſariò tradenda nobis videtur, ut exindè exſurgat veluti tabula conparationis, quâ mentis ac Praxeos veterum & medicorum Monſpelienſium convenientia, in apricum proferatur.

Jam verò ex hiſ-ce conſiderationibus, Hiſtoriam peculiarem Corporis cribroſi promodulò aggredi, hodiè nobis animus eſt. etenìm *Corporis natura principium in artis medicæ ſpeculatione obtinet* (1). Atqui humanum corpus rectiùs ac utiliùs niſi per organum iſtud, profectò contemplare licet. & reipsà, videtur HIPPOCRATES ab illo præcipua œconomiæ animalis in homine ſano phænomena planè conſpexiſſe intellexiſſe, & ex æquò pleraque in ſtatu morboſo ſpectabilia ad Corpus cribroſum conſtantèr revocaſſe. Quicumque attentè opera HIPPOCRATIS pervolvere ac cordatè meditari volet, de hoc quidem certiorem ſe faciet; demirabitur inſupèr hâc-ce doctrinâ omnia propemodùm præſtantiora artis auxilia (ut putà pur-

---

(1) Hippocr. *de Loc. in homine*, *ſect. IV.*

gatio per emeſim, venæ ſectiones locales, Cucurbitularum, Cauteriorum, veſicantium & aliorum externorum remediorum applicatio) ſuaderi, horum effectus apprimè dilucidari &c., dùm è contrà pleræque recentes Theoriæ, potiſſimùm illæ quæ immodicâ legum circuitûs ſanguinis extenſione, nec-non ſyſtemate ſerierum variarum vaſculorum minimorum innituntur, ex illis magnis auxiliis animum Clinici potiùs deflectunt, nil que cum eorum effectibus conſentiunt, vel hos-ce nullô modo enodare interpretari valent, ac efficaciſſimis præſidiis, maſculis moribus, eximiiſque admodùm præceptis quibus medicina Græcorum viget, ſubſtituunt jejunas ac macilentas agendi rationes, Uſus aut habitus imbelles exiguos, vel Gothicas ſubtilitates & lepidas phraſes *ad imperitos juvenes*. Porrò hæc alia contemplatio ad Priſcorum medicinam, excuſſô quarum-libet theoriarum jugô, pro viribus addiſcendam, dogmaque HIPPOCRATIS de Corpore cribroſo, quatenùs hujus medicinæ clavim ſuppeditans, tùm ex fonte ipſomet græco, tùm ex medicorum Monſpelienſium ſcriptis ac propria auptopſiâ enucleandum, nos ultrò compellere debuit.

Non novam quidèm Doctrinam proferimus, ſed antiquam imò & antiquiſſimam, verbò HIPPOCRATICAM; ſub quo poſtremo titulo utiquè ſperandum eſt fore-ut Conatus noſtri benignè excipiantur ab ILLUSTRISSIMIS HUJUS-CE ALMÆ FACULTATIS ANTECESSORIBUS, qui ad ſuſtinendam & ampliandam priſcam Græcorum de re medica ſapientiam, omni ope ac ſtudiô, avitô more, contendunt, quique operibus & exemplis antiquum ſplendorem ISTIUS ACADEMIÆ in dies adaugent, hujuſque veterem famam magis magiſque per orbem effundunt propagant, ità ut de hac-ce ut cùm maximè hodiè dici queat, quod de Athenienſium Civitate Poëta conterraneus noſter;

. . . . Athenas,
undè per joniæ populos & nomen Achæum
verſa graja manus centum ſe effudit in Urbes.
(AUSON. *Clar. Urb.*)

DE

CORPORE CRIBROSO HIPPOCRATIS,

SEU DE

TEXTU MUCOSO BORDEVII,

INTRODUCTIO.

CORPUS *Cribroſum* (eo nomine ab *Hippocrate* inſignitum) ſyſtema integrum ſeries-ve integra audit, pororum aut *parvorum meatuum* quibus perforantur animalium omnes partes, quibuſque redduntur iſtæ permeabiles, ac conſequenter *ſpirabile* fit *totum corpus tam foras quam intrò*, *ipſis etiam ſenſibus* (1). Sub hac inſuper denominatione, ideam vir ille ſummus comprehendebat materiei aut ſubſtantiæ ipſiuſmet *Corporis Cribroſi*, ideam ſcilicet humoris cujuſdam glutinoſi ſeù mucaginis, vulgò *muci*, ut conjicere eſt ex iis quæ præcipuè notantur in ſuo tractatu *de carnibus*, circà humorem quem humani corporis univerſam materiam haberi vult, undè *corpus ſibi ipſi idem eſt & ex iiſdem conſtat* (2). Porrò huic etiam humori varias denſitates ſeù varios gradus conſiſtentiæ, prò variarum partium indole uſibuſque peculiaribus aſſignat; quæ quidem profectò denſitatum varietas, ex diverſarum temperierum influxu quibus ſubjicitur humor, promanat, nimirùm ex majori vel minori *calidi* aut *frigidi* copia hujuſce humoris diverſis partibus inhæreſcente, habitâ ratione munerum queis obeundis iſtæ dicantur; .... *frigidum quidem carnem conſtituit condenſavit & fecit*, *glutinoſum autem in foramina abiit* (3). Hunc ampliùs humorem ſub duplici generico reſpectu, id eſt ſub binis conſiſtentiæ gradibus conſideraſſe videtur *Hippocrates*; ſub priori quidem, hunc tamquam humidiſſimum, ideòque æſtuoſiorem, fluidiorem ac conſequenter leviter glutinoſum minùſque *cellulоſum* aut *cribroſum*, nec-non quibuſdam

(1) *Hippocr. de morb. vulgar. lib.* VI. *ſec.* VI.
(2) *De locis in hom. pag.* 408
(3) *De carnib. ſec.* 3. *pag.* 251.

viſceribus (ut putà cerebro, hepati aliiſque ejuſmodi) materiei ſufficiundæ aptiorem, cenſebat. Sub altero verò reſpectu, prædictum humorem veluti humidi calidique exigua doſi donatum, ſpectari volebat, ita ut minùs æſtuoſus id eſt minùs agitatus, ac ideô glutinoſior, & exin ad *Celluloſum* ſeù *Cribroſum* habitum induendum, cum molli quidem ac ſpongioſo textu, pronior evaderet. En habetis, in hac poſtrema humoris parte, *glutinoſum* illud *quod in foramina abiit*, pulmonum, lienis, cæterorumque hujuſmodi viſcerum materiam ſuppeditans.

Demùm contendebat *Hippocrates*, craſſiorem minorique *calidi* copia ditatam humoris partem quæ ſubſtantiæ priorum viſcerum (id eſt cerebri, jecoris, aliorumque) jamjàm ſuppeditatæ ſuper erat, reſiduam, inquam, hanc-ce humoris partem vix à glutinoſo differentem, in membranas coaleſcere (1). Quod ad *Corporis Cribroſi* uſus attinet, per hoc ſudoris, perſpirationis, nutritionis materiem, varioſque alios humores jugiter volutari undiquè deferri cenſebat ille, non ſecus ac fluxiones varias, abſceſſuum materiem, nec-non aërem ſeù *ſpiritum*, ignem ſeù *calidum*, per hujus tramites ultrò citròque moveri &c. ut cuilibet ſcripta *Hippocratis* evolventi facilè patebit.

Hæc ſunt quæ nobis tradidit artis noſtræ parens ac princeps, de origine, habitu, materiaque ipſamet *Corporis Cribroſi*, quæque ad principia ſtabiliora dilucidiora, magiſque ætate noſtrâ receptis notionibus accommodata, per decurſum hujuſce diſſertationis reducere conabimur.

Extinctô *Hippocrate*, diſcerpta, deturpata ac penè oblitterata fuit doctrina de *Corpore Cribroſo*, pullulantibus undiquè ſectis ex effreno dogmatis ideſt ratiocinii impetu. *Eraſiſtrati* ſolum *Parenchyma* placuit innotuitque. *Aſclepiades* autem vir acris ingenii qui, ſolâ mentis acie, doctrinæ Hippocraticæ amplitudinem complexus erat, hanc de induſtria adulteravit, dùm *Democriti* & *Epicuri* Philoſophiâ corpuſculari multùm uſus, hùc rationalem vel ætiologicam medicinæ partem penè totam, quodam modo, revocare contendit. Sic igitur de *Corpore Cribroſo* peculiare ſyſtema cudit, cui ſanè ob novitatem & miram artem arriſit potiſſimùm Romanorum gens, ſubtilitatum Græcarum recens cupida; verùm iſtud phyſicæ potiùs juris eſt quàm veræ medicinæ cujus oblivionem imò & depravationem aliquatenùs inducit; triſtior heu! ratio quam recentiores nonnulli, in pluribus *Aſclepiadi* non abſimiles, miſerrimè imitati ſunt!

Veteres alii partem unicam *Corporis Cribroſi* agnovere, partem ſcilicet ambitûs corporis, non omiſſis ſpatiolis in quibus terminari & oculis evaneſcere extrema vaſcula arbitrabantur, & hanc-ce *Corporis Cribroſi* partem, *tertiam corporis Regionem* dixerunt. *Galenus* verò ejuſque aſſeclæ Doctrinam *Hippocratis* de *Corpore Cribroſo*, æquè ac alia dogmata in integrò amplexi ſunt. Nonnullos Arabes ultrò ſequaces habuerunt iſti. Poſt illos annumerandi veniunt quidam iſtius Academiæ veteres antiſtites, inter quos Illuſt. *Rondeletius*, *Laurentius Joubertus*, ut pote qui caſtam *Hippocratis* Doctrinam de *Corpore Cribroſo* tutiùs ſervaſſe videantur, ut liquet ex eorum ſcriptis in quibus Doctri-

(1) „Quod verò ſuperfuit, tunica evaſit.... Quod in glutinoſo inheret frigidi id ipſum „à calido colliquatum humidum eſt redditum, quod verò glutinoſi fuit reliquum, in „ipſam tunicam abiit. *Vid. ibid.*

nam iſtam, ad mentem ſummi inſtitutoris, candidè edocent ac interpretantur(1).

Ex recentioribus autem, plures *Corpus Cribroſum* delibaſſe imò & aliquantulùm deguſtaſſe viſi ſunt, invitâ recenti theoria circuitûs ſanguinis, de hoc animos admodùm deflectente. Plerique tamen eorum à medicis dogmatiſantibus qui poſt *Hippocratem* viguere, vix, ut apparet, diſſentiunt differunt. Enim verò alii Anatomiſtæ vel Phyſiologiſtæ potiùs quàm medici dicendi, textum quem *cellulosum* vocant, unicè tantùm agnovere; itidem alii nihil ultrà præter textum quemdam lanuginoſum priori vix diſſimilem, ſpatioque venam inter & arteriam medio, ſecretoriis quibuſdam in organis conclùſum, declaraverunt. Alii tandem artis phyſicæ vel geometricæ quàm medicæ peritiores, evolvendis aliquot partium poris, ac delineandis cribris cutaneis duntaxàt inſudarunt. Porrò hos omnes univerſi *Corporis Cribroſi* genuina textura uſuſque multiplex omninò prorſùs latuit. Quiſlibet enim ad normam propriæ obſervationis, corpus iſtud reduci voluit, vel iis accomodari quibus peculiare quoddam ſyſtema ad privati cujuſdam phænomeni vel functionis enucleationem, prò arbitrio conderet. Sic ampliùs *Vieuſſenſius* noſter, de cætero vir admodùm commendabilis, très meatuum ſeù pororum claſſes diſtinctas in corpore effinxit, ad totidem humorum ordines referendas, in hoc quidem *Aſclepiadis* aliquantulùm æmulus (2).

Nihilominùs tamen nonnulli ſunt qui rem magis philoſophicè contemplavere, quos inter eminet *Joſephus Moſca* percelebris apud Neapolitanos Medicus, ut videre eſt in ſuo eximio tractatu de aëre (3). Clariſſ. *Thiery* Medicus Pariſienſis hìc etiam multâ cum laude notandus venit, quippè qui egregium opus de *textu celluloſo* ediderit, in quo nonnullas aliorum obſervationes feliciter in rem ſuam vertit, licet tamen de unicâ *Cribroſi Corporis* parte, id eſt de *textu cellulari* propriè dicto, mentionem fecerit, inſtar veterum qui de *tertia*

---

(1) „Quod attinet ad illas rationes à ſpiraculis petitas, dico ſpiracula aliqua eſſe ve„narum & arteriarum, & aliqua etiam in ſpatia cutis deſinentia : his adde, quod „corpus eſt tranſpirabile, & quia meatus cutis in ſpatia inania deſcendunt, venæ & „arteriæ poros in ſpatia deſcendentes habent quibus nutrimentum fundunt in carnem „& quibus aërem eliſiunt. *Rondelet de curan. febr. pag. &c.* 755. *& ſeq.*

„Præter amplas cavitates & canalium meatus evidentiſſimos, partes omnes quan„tumvis ſolidæ fuerint, pòris ſunt præditæ, per quos etiam materiarum communica„tio undequaque fieri poteſt; atque id facit corpus omni ex parte tranſfluxile & tranſ„pirabile, ut ſcripſit *Hippoc.* mutua vero particularum connexio & quaſi unitas, illius „ſympathiæ cauſa eſt, quà in pleriſque affectibus nonſolum morboſis, ſed etiam ſanis „deprehenditur. *Laurent Joubert. in lib.* 1. *Galen. de natu. facul. pag.* 26.

(2) *Vid. de mixt. princip. in ordin. ad cord. human. tract.* 1. *cap. Vj.*

(3) Queſti ſono gl' interni ſpiragli, per cui inſenſibiomente ſi fanno tant' e tante ſeparazioni non per anco aſſai bene conoſciute ed eſaminate da' moderni Medici, e Filoſofii, e la cui più eſatta cognizione ci potrebbe molto illuſtrare la conoſcenza di moltiſſimi morbi. In quanto poi agli aſſorbimenti, creder ſi deve, che dagl' interſtizj delle fibre di tutto il corpo ſi deggiono di bel nuovo aſſorbire quegli umori da' canaletti aſſorbenti, i quali dagli eſcretorj ſono ſtati prime, ſeparati; perché ſi conſervi in eſſi la giuſta quantità, ed il natural moto proporzionato; conforme al certo faſſi della linfa, che dal ſangue ſi ſequeſtra, ed a lui novellamente ſen ritorna : e chi ſa ſe oltre agli ſcorrimenti già conoſciuti, per entro gli ordinati canali dell' arterie, delle vene, e di ciaſcheduna fibra, ſe ne dieno altri ancora per

corporis regione tantùm diſſeruere. Iluſt. *Hallerus* tandem, ea quâ pollet doctrina & eruditione, de *Corpore Cribroſo* ſimiliter egit ſub nomine *telæ celluloſæ*, in præſtanti ſuo opere phyſiologico; verùm, ut ferebat opus, hujuſce corporis anatomicam ac phyſiologicam partem duntaxàt tradidit.

Invitis ideò recentiorum æſtimandis elucubrationibus, Doctrina de *Corpore Cribroſo Hippocratis* etiam nunc apud nos tanquam obſoleta vel ſaltem depreſſa jacebat. Interim notare expedit, jam à pluribus annis Illuſt. *Bordevium*, in opere cui titulus *Recherches anatomiques ſur les Glandes*, in aliiſque abhinc evulgatis ſcriptis, plurima paſſim diſſeminaſſe circà Doctrinam *Hippocraticam* de *Corpore Cribroſo*, cui reſtaurandæ indefeſſè operam dare videbatur. Ex his multa jure ac meritò mutuatus eſt alter ex noſtris Doctoribus Celeberr. *Lacaze* (1); non nulla quoque de *Corpore Cribroſo*, more *Bordevii*, notavit Celeb. *Michel* Doctor Monſpelienſis (2); plura & etiam de hoc eodem argumento, & in ordinem quemdam redacta, leguntur in Diſſertatione *de fibræ natura viribus & morbis*; quædam adhuc ex eodem penu deprompta prodidere Clar. *Marmeduc Berdoë* Medicus Anglus, doctrinam hancce apud Monſpelienſes nuper edoctus, & Cel. *Robert* Medicus Pariſienſis (3). Porrò hæc omnia veluti totidem programmata haberi queunt, ſeù præcurſoriæ denunciationes operis aurei quod jàm tandem in lucem edidit mox laudatus *Bordevius*, ſub titulo *Recherches ſur le tiſſu muqueux*, qui titulus eo accuratior eſt, quod mentem *Hippocratis* & naturam *Corporis Cribroſi* præclarè quidem exprimat, habitum, dicimus, exiſtendi modum atque ſubſtantiam ipſammet præfati corporis enunciet.

Opus autem illud à quolibet artis noſtræ cupido nocturnâ diurnâque manu verſandum, *Corporis Cribroſi* doctrinam ampliſſimè reſtitutam ac dilucidatam exhibet, & in præſtantioribus medicinæ fundatoris dogmatibus feliciter indagandis, à quibus tanquam inextricabili dedalo hucuſquè ſeſe expedire deſperaſſe videntur non pauci interpretes, veluti filum novum miniſtrat. Ad hujus igitur doctrinæ explanationem accingentibus, profectò nihil ſatius erit, quàm ſi, duce jàm laudato autore, incedamus, quidquid propriâ obſervatione propriiſque experimentis ſumus edocti, pro re nata ſubjungendo. Erit igitur Diſſertatio hæc tripartita; & primum de origine, incremento & habitu *textûs mucoſi* quem unà cum *Corpore Cribroſo* in poſterùm confundere lubet, agemus; deinceps de hujuſce viribus uſibuſque in ſtatu ſano; tandem ejuſdem vires & uſus in ſtatu morboſo explanabimus.

---

entro gl' interſtizj delle fibre medeſime? ſi danno in noi alcuni paſſaggi iſtantanei de' liquori da luogo a luogo, i quali ſe far ſi doveſſero per le ſerie ordinate dè canali troppo di tempo ſi dovrebbe frapporre; come ſi oſſerva nelle morboſe metaſtaſi de morbi acuti, e nel traggittarſi del ſiero da luogo à luogo nè corpi degl' idropici con impercettibile preſtezza; com' ancora nel preſtiſſimo orinare dopo di aver a ſazietà mangiato il cocomero, o bevuto acqua fredda à ſazietà; nel dar fuori la marcia dalla cavità del petto per la bocca, o per le ſtrade dell' orina, ſenza che da quella cavità à queſti luoghi, ſerie alcuna di patenti canali ſi oſſervi. *Part.* 1. *Tom.* 1.

(1) Idée de l'Homme phyſique & moral, &c.

(2) Traité de divers objets de Médecine.

(3) Vid. Journal économique. 1754.

PARS PRIMA,

De origine Corporis Cribroſi ſeù textûs mucoſi, ejuſque incremento & habitu.

§ I.

VIdimus jàm anteà *Hippocratem* aliquatenùs operam impendiſſe, in ſuo tractatu *de Carnibus*, inveſtigationi originis ſeù formationis *Corporis Cribroſi*, quod aſſequi ritè putabat diligenti curâ adhibita in rimandis phænomenis, circà primum tempus formationis, apud hominem conſpiciundis. Sic etiam iiſdem veſtigiis iiſdemque ſcrutationibus inſiſtendo, Textûs aut Corporis hujusce originem, incrementum vel explanationem unà cum cæterarum partium embryonis evolutione, pariter cernere datur.

Dùm igitur ad proximiora conceptionis tempora embryonem exploraturi aſſurgimus, quamplures obſervantur tenues faſciculi, filamentaque teretia albicantia, ſeù potiùs nervea, majori vel minori ſenſu motuque, viſu ipſomet percipiundis, ditata, ex communi ſtirpe veluti progerminantia. Hæc omnia ſimul fluitant in humore quodam mucoſo-gelatinoſo, verbò in mucagine cujus viſcoſitas, tenacitas, itemque lentor (quem tamen immeritò cùm ſtatu fibroſo ad ſolum nervum propriè pertinente confudere non nulli) neminem adhuc fugiunt, æquè ac innoteſcit hujuſce muci ad concreſcendum indureſcendum leviſſimo licet calore, nec-non ad omnimodè ſeſe verſandum ac comparandum facilitas ductilitaſque, & (quod in præſentia gravius eſt) ad *Cribroſum* vel *Celluloſum* habitum induendum, ſingularis aptitudo, ut videre eſt in albumine ovi huicce mucagini ſummè analogo; utriuſque enim molli ſubſtantiæ inſunt moleculæ fluidi, magna ex parte, aquoſi, quibus debetur ejus fluiditas imò & ad fermenteſcendum virtus peculiaris, ita ut cribroſus ſeù celluloſus, quodam modo, mucus iſte præexiſtat (1), ſic exlonginquò futuram ſortem in corpore vivo aliquantùm prænuncians.

II.

Ii porrò faſciculi nervei, ea filamenta nervea organorum ac omnium partium quas animant veluti opifices, creſcunt propagantur, & tanquam ſeſe enutriendo gliſcunt ſibi conglutinatis moleculis fluidi quo innatant aut immerguntur. Fluidum autem iſtud delectu quodam ac privatô guſtu attrahere & in rem ſuam vertere videtur quilibet faſciculus nerveus, ratione viſceris aut

(1) Conjectura hæcce comprobari videtur analyſi chymicâ albuminis ovi coagulati, è quo, vi ignis, aqua gelatinâ & mucô propriè dicto fœta elicitur; quæ eadem principia in jure carnium reperire datur.

partis cujus eſſentiam organicam, hoc eſt animalitatem ſeù vitam peculiarem, conſtituit, itemque ratione munerum queis obeundis hæc viſcera ſeù partes iſtæ dicantur. Hìc notanda venit potiſſimùm major minorve gemmarum nervearum activitas, quâ mucus proxime ambiens & obliniens gemmas magis vel minus jactatus, atque plus minuſve fluidus (humidus) & ſubtilis evadit; notanda & etiam calor loci ſeù calidum inſitum (1), qualitates humori mucoſo adſcititiæ &c. quibus omnibus facilè eluſceſcunt Ratio & cauſa diverſarum denſitatum aliarumque varietatum quæ tùm in ſtatu poroſo vel cribroſo partium, tùm in earum variis contexturis animadverti queunt. Non aliter textus mucoſus cerebri, v. g., ſubtiliſſimus, mitiſſimus (cremorem muci diceres) poroſiſſimuſque exiſtit, comparatione habitâ cùm textu craſſo ac tenaci muſculi &c.; ſic pulmo, lien, corpora cavernoſa, aliaque molli ac ſpongiformi contextura ſeù textu mucoſo laxiori admodùm nec-non celluloſo ac glutinoſo donantur, dum hepar, glandulæ plurimæ &c., textum perhibent tenuiorem licet confertiſſimum, minuſque celluloſum &c. Textus mucoſus cartilaginis, ligamentorum aliorumque, minus durus pariter obſervatur, itemque celluloſior ac magis elaſticus quàm in oſſe quod aliundè poroſiſſimum eſt. Quæ omnia, ut jam præmonuimus, animadverterat ipſe *Hippocrates.*

III.

Quodlibet igitur nerveum germen, quælibet fibrilla nervea moleculis humoris mucoſi quas excipit induitur & præmunitur, eôdem fermè modo, inquit Illuſtr. *Bordevius*, ac in madrepora fibra vegetalis terreâ cruſta obducitur invaginaturque, aut non ſecùs ac tener adhuc botrus vel uvula nondùm matura quæ dum in fluido intensè gummoſo, vel in ſyrupo, lento igne, ſpiſſeſcente verſaretur, æſtu quodam leni indeſinenter jactata, ſurculo minimo-tenùs minimoque vix ſubſiliente acino, ſub cortice ſeù involucro gummoſo vel ſaccharato sensìm craſſeſceret deliteſceretque. His autem involucris mucoſis immediatè vel proximè adhærentibus quibus veluti *ſtratìm* fibrillæ nerveæ induuntur, efformatur textus peculiaris quem haud immeritò textum mucoſum proprium organi nominares, id eſt *textum mucoſum organicum*, qui in genere tenuis ac cribroſus aut ſimpliciter poroſus, potius quam celluloſus vel laminatus, inquirenti cultro anatomico exhibetur, eoque magis quod propiùs, id eſt magis immediatè, humor hunc textum ſuppeditans exagitatus fuerit à fibrillis nerveis, & quod iſtæ fuerint intenſiùs actuoſæ ſeù majori ſenſu præditæ. Hæc eſt

---

(1) De hoc audiamus *Hippocratem* .... „horum autem quodcumque, *ait ille*, con„centum ſortitum, cùm humidum exiſtat, ab igne movetur: motum verò viviſcit, & „alimentum ad ſe ab iis quæ in mulierem ingrediuntur, cibo & ſpiritu attrahit, im„primis quidem undiquaquè æqualiter, cùm primùm rarum eſt motu verò & igne „ſicceſſit & ſolideſcit, & ſolidum redditum circumquaquè denſatur.... quæ igitur „naturâ ſolida ſunt. In compacto & ſicco, non abſumuntur ab igne in alimentum, ſed „valida redduntur, & humore deficiente compinguntur, quæ quidem oſſa & nervi „nominantur. Ignis autem ex commixto humore commoto, corpus ſecundùm naturam „propter hanc neceſſitatem componit. Ad ſummam, ignis omnia quæ ſunt in corpore „ſuo modo ad univerſi imitationem, parva cum magnis, & magna cum parvis diſpoſuit „&c. *de vict. Lib.* 1. *pag.* 344.

illa portio textûs mucoſi quam aliquatenùs ad *glutinoſum humidiſſimum & calidiſſimum Hippocratis* revocare licet, & ex qua proximè oritur craſſities, privata moles ſeù orbis proprius fibrillæ.

IV.

Nunc verò fingamus plures ex dictis uvulis jàm multùm accretas vel adauctas in quibuſcumque ſuis partibus ac dimenſionibus, ob multiplices quibus obducuntur humoris gummoſi aut ſaccharati coaleſcentis induvias, eaſque intrà eumdem humorem æſtu continuô jactari, tunc facilè intelligere poterimus, non ſolùm uvulas craſſitudinem indeſinenter adepturas, nec-non, humore cui innatant magis magiſque craſſeſcente, cujuſque petioli ad petiolum, acini ad acinum ſpatia ſeu interſtitia hocce prorsùs adimpleri, verùm etiam intelligere pronum erit, ex eadem materie ſic exagitata circà organum in eam immerſum, huicce poſtremo acceſſurum involucrum quoddam magis minus-ve denſum, in modum atmoſpheræ gummoſæ vel ſaccharatæ plus minus-ve extenſæ. Tandem, perindè ac ſingulorum petiolorum & acinorum uvulæ, quæcumque ſpatiola hâcce materie conferciri dicebamus, eâdem ratione loca inter quaſlibet uvulas media, pari paſſu ab ipſa occupatum iri facilè deprehendi poterit.

V.

Hæc eſt, rudis ſaltem, imago accretionis ſeù incrementi viſcerum omnium, & conſequenter ipſius-met textûs mucoſi ſub congeminatis confertis ambientis fluidi mucoſi coâlitionibus. Hìnc comprobatur ac penè oculis ſubjicitur continuitas molis mucoſæ viſcera omnia circumdantis, faciliſque ac ubiquè pervia omnium inter ſe organorum communicatio concatenatioque indiviſa. judicare etiam exindè poſſumus materiæ mucoſæ partem intermedia occupantem, &, quoad centrum ſeù nucleum organi, magis ſuperficiariam, textum mucoſum præbere, ſub aliquo reſpectu, à textu mucoſo proprio ſeu *organico* diſcrepantem. Hæc namque portio muci multò minùs experta eſt proximam immediatam que fibrillarum nervearum actionem, quàm altera pars ejuſdem humoris quâ fibræ immediatè obliniuntur; undè, ratione majoris diſtantiæ à centro organi, minus exagitata minuſque fluida cenſenda eſt illa, in hoc conveniens cum alia quacumque muci portione quæ fibrillis nerveis parùm ex ſe actuoſis ſubjicitur, quales v. g. exiſtimare poſſumus fibras pulmonum, lienis aliorum que. Ex dictis igitur inpromptu eſt, textum præfatâ portione muci ſuffectum, glutinoſiorem eſſe neceſſario, ut eſt reapsè, nec non cellularum & laminarum copioſiorem, ac conſequenter laxiori ſpongioſiorique texturâ donari, in his omnibus textùm mucoſum pulmonis, lienis, corporum cavernoſorum, muſculorum &c., non parùm æmulantem. Hic eſt recentiorum *textûs cellularis* propriè dictus, ex multiplici capite, genuino *Glutinoſo Hippocratis* apprimè comparandus, quemque *textum mucoſum intermedium* appellare juvat. A ſuperiori ſeù *organico* in eo differt textûs iſte, quod celluloſus ubicumquè ſit potiùs quàm cribroſus ſeù ſimpliciter poroſus, ſiſtens veluti ſtratum ſuperius & atmoſpheram ſpongioſam fibrillarum ſeù viſceris ipſiuſmet, imò & totius generatim textûs mucoſi. Hic demùm in pluribus ſuis partibus includit oleum

quoddam animale *adeps* dictum, undè improprié nomen his portionibus impoſitum fuit *textus adipoſus*, cùm rectiùs textus *mucoſo-adipoſus* appellaretur; non enim eſt textus adipe confectus, ſed textus mucoſus adipe proximè imbutus ac penetratus.

VI.

Ad memoratas textûs mucoſi binas claſſes, referendæ ſunt membranæ ſimpliciter *mucoſæ* dictæ quò diſtinguantur à membranis nervoſis ſeù nerveo-muſculoſis quæ nihil aliud quàm nerveæ propagines vel telæ nerveæ plus minus-ve textû mucoſo ferruminatæ, ut videre eſt in ventriculo, in teſtinis, cute, dura-meninge aliiſque. Hæ verò membranæ mucoſæ, ut plurimùm eſſe videntur effluentiæ ſeù quædam exſudationes partis craſſiſſimæ textûs mucoſi *organici*, quæ propriâ indole ad concretionem fuit proclivior, ſeù citiùs poſteriori concrevit coâluit; verbò nihil aliud eſſe videntur prædictæ membranæ, quàm *Hippocratis glutinoſum quod in tunicas abiit*, priori textu commixtum, in quo, roris aquei intervenientis ope, variorum ſuperficiei ſuæ punctorum inter ſe adhæſio avertitur, dùm actio reciproca ſeù compreſſio partium, ad levigandam ſuperficiem ex ſua parte concurrit. Mucoſæ illæ membranæ in ſemetipſas veluti convolutæ, plures efformant plicaturas ſeù caveas quibus major viſcerum pars, vaſa plurima & quidem notabiliora &c. comprehenduntur. Interim ſe habent iſtæ in aliquo ſenſû, relative ad viſcera, non ſecùs ac cutis relativè ad pleroſque fructus quorum parenchymati contextè copulatur cum eo ſe ſe confundens. Non aliter enim ex membranarum mucoſarum poſtica ſuperficie, exurgere videtur effluentia quædam mucoſa quæ vel cum parenchymate ſeù textu mucoſo *organico* viſcerum, vel cùm textu mucoſo *intermedio* promiſcuè connectitur. Sic placenta ex lanugine mucoſa è poſtica ſuperficie *amnios* emergente, partim exoriri videtur. Sic demùm membranoſæ cerebri veſiculæ quas embryo primis in ſuis temporibus exhibet, nihil aliud eſſe videntur quàm pia-mater corroborata quâdam pulte mucida adhæreſcente ſuperficiei internæ hujuſce membranæ cujus cava adimplet, quæque condenſata aut congelata & in textum cribroſum aut poroſum ordinata, cerebri ſubſtantiam ſuppeditat. Ut ut eſt, illas membranas inter alios uſus ad ſiſtendam molem viſcerum & ad illorum formæ æconomiam tuendam inſervire, haud immeritò conjicere fas eſt.

VII.

Verùm, quod in membranarum mucoſarum conſideratione noſtri præ cæteris intereſt, efformant iſtæ in pectore potiſſimùm & in abdomine quorum cava intùs obducunt, tanquàm binos utres aut ſacculos præcipuos textûs mucoſi alterum alteri obverſos & applicatos, quique, intervallo ſuæ applicationis, includunt interſepiunt diaphragma cujus fibras carneas utrinquè penetrant; altè adacta invicem mucoſâ ſubſtantia vel textu mucoſo *intermediario* è quam plurimis locis ſuperficiei poſticæ membranarum ſubſiliente; ita ut punctum iſtud mutuæ applicationis ſacculorum, tanquàm linea ſecans haberi poſſit, quâ corpus in duas partes tranſversìm dividitur,

quod

quod meherculè adamuſſim congruit cum præclara diviſione ab *Hippocrate* excogitata, in morbos qui ſursùm & morbos qui ſubter ſeptum tranſverſum aſſideat. Præterea membranæ mucoſæ quæ omnes valdè poroſæ obſervantur, inter ſe omnes communicant, ſe ſe quaſi mutuis amplexubus penetrantes invicemqne ſubeuntes. Sic v. g. plevra cùm peritonæo apertè communicat tùm ope foraminum quibus diaphragma perfoditur, tum mediantibus effluentiis aut germinationibus textûs mucoſi jam memoratis, quibus trajicitur muſculus iſte ſingularis. Infernè amplius è peritonæo progeminant non nullæ productiones ſeù propagines quæ communicationem inter hoc & partes inferiores conſtabiliunt. Quod ad piam-meningem attinet, hanc cum pleriſque organis communicare notum eſt, dùm nervos quos inſuper obveſtit, ab ipſomet è cranio egreſſu aſſiduè concomitatur. De ceterò piameninx textum ſuum mucoſum cum textu mucoſo faciei intermiſcet, ac proindè aliquam alit cum dura-meninge connexionem. Neminem autem latet poſtremam hanc ce membranam inter nerveo-muſculoſas recenſitam, è fiſſuris dictis *laceratis* cranii emergere, quò in orbitas & faciem ſe ſe diffundat ad uſquè membranam pituitariam aſpirans, quæ poſterior, ex ſua parte, in os poſticum, faucium tenùs, protenditur. Animadvertendum etiam Duram-meningem manifeſtè obviàm fieri plevræ quæ, reciprocô occurſu, in eam incidere videtur cum vaſis majoribus è thorace ſurſùm tendentibus copulata, quæ eadem vaſa aduſquè interiora colli & bracchiorum ultrà proſequitur. Hæ verò omnes quæcumque membranoſæ communicationes aut connexiones, ſedulò perpendantur opportet.

VIII.

Ex attenta harum-ce membranarum mucoſarum contemplatione, quædam aliæ, & quidem non parvi momenti, notandæ veniunt animadverſiones; 1°. viſcera præcipua tantùm-modo obducunt obtegunt præfatæ membranæ, ſic ut hæc eadem viſcera extrà illas poſita ſint, ut conſtat ex anatome; undè nec ab eis membranis intercipi, nec uſpiàm impediri valet communicatio illorum viſcerum inter ſe; quæ communicatio tractu continuô, id eſt continuitate univerſæ molis textûs mucoſi potiſſimùm innititur, quæque eò facilior cenſenda eſt quod ex his viſceribus quædam ſint, qualia hepar, lien, quæ propter ſpatium medioxumum duplicis terminationis peritonei ſimul ac plevræ latè poſita, in hoc partìm includuntur. 2°. Prædictæ membranæ, mediante pulte vel effluentia quadam mucoſâ è ſua poſtica ſuperficie emergente, viſcerum parenchymati horum que privatis ductibus, nervis, vaſis materiem aliquantam ſuppeditant, nec-non poſtrema hæcce productionibus propaginibus-ve ſuis membranaceis proſequuntur. 3°. Eiſdem productionibus effluentia mucoſâ intimè adhæreſcente conſtanter munitis, penetrant ambiuntque omnes quoſcumque lacertos aut muſculos, fibras que omnes carneas quas aſſiduè concomitantur ad uſquè peripheriam corporis, ubi tandem effluentia terminari ac veluti per exſudationem diffuſa condenſari videtur, tali induſtriâ generale quoddam involucrum membranaceum ſubter cutem, ſuprà verò iſtam, mucoſam quamdam lituram in omnem corporis ambitum expandens effundenſque. Sic igitur, dùm utriuſ-

que præcipui ſacculi membranacei functiones & habitus relativè ad viſcera queis involucrum præbent iſti, ritè perpendantur, dùm rursùs attendatur ad eorum ſacculorum productiones propagineſve per carnoſas partes aduſquè corporis peripheriam exporrectas, facilè quidem habita partes inter externas & internascommunicatio imprompiu erit.

IX.

Hìc etiam recenſendæ ſunt terminationes ſeù fines extremi (*les aboutiſſans*) marſupiorum membranaceorum, hoc eſt partes illæ corporis in quibus membranæ eædem mucoſæ ſibi invicem occurunt ac ſe ſe conſociant, ſeù loci quibus prefixæ terminantur membranarum iſtarum propagines tùm ad quatuor corporis extremitates, tùm ad hypochondria, collum, &c. Quò circà notare expedit, ad illas partes veluti ad totidem puncta deferri, ac, ut ità dicam, reflecti præcipuorum ſacculorum diſtractiones ac ſucculſiones varias. Hìc ampliùs annotanda venit laminarum vel meatuum textûs mucoſi conſtrictio in carpis, malleolis, & generaliter in articulis potiſſimùm ſpectanda. Verùm ſatis ſit conſtrictionem hujus textûs longitudinalem peculiariter commemorare, quæ juxtà corporis diviſionem in duas partes æquales, antrorsùm & retrorsùm progreditur. Hæc porrò veluti conſtans ac realis linea ſejunctionis binas interhaſce partes dimidias habeatur, effecta à reciproquo laminarum textûs *mucoſi intermedii* ex utroque latere corporis emergentium occurſu, quæ laminæ ſeſe mutuò corroborant atque penetrant, in ea parte confuſæ ſimul & implicatæ; ita ut, accedente jàm notatâ in textu mucoſo conſtrictione quam facilè ex eodem omninò principio ac Raphæum generale corporis repeti volueris, tota mucoſi textûs moles dividatur in duas partes æquales, quæ proindè totidem fiunt textûs hujuſce veluti magnæ provinciæ aliæ ab aliis, præcipuorum ſacculorum inſtar, diſtinctæ, quæque non ſecùs ac iſti tùm ſeſe mutuò penetrant & conjungunt ſibi invicem occurentes, tùm inter ſe communicant; quamvis tamen communicatio hæc ce paulo-minùs libera inter has (provincias) quàm inter illos (ſacculos) videatur.

X.

Superiùs notatum eſt (§. II & III) fibram quamlibet nerveam in ſua eſſentia conſideratam, majori vel minori ſenſibilitatis æquè ac mobilitatis gradu pollere, iſtam que fibrarum facultatem ad majorem aut minorem denſitatem textûs mucoſi organorum vel omnium in genere partium maximè conferre, quemadmodùm confert ad habitum plus minus-ve cribroſum, plus vel minus celluloſum materiei ejuſdem textûs. Nunc verò adjiciendum eſt, mediantibus hiſce dotibus fibræ nerveæ inditis ac propriis, tùm moleculas muci queis proximè aut immediatè obducitur iſta, tùm illas quæ proximiores extant ſuperficiei organi vel hujus fibrillis remotiores, utraſque, inquam, moleculas dùm in corpus cribroſum aut in cellulas ſeſe comparant, ità ſeſe comparaturas ut omnes ad directionem concentricam (quantùm conjici poteſt) plus minus-ve incumbant inclinent, habitô reſpectu ad fibrillas quarum motubus moleculæ attrahuntur; undè pronum eſt ſivè textum mucoſum *organicum* propriè dictum, ſivè

intermediarium, directionem ambo pariter in ſua conformatione vel in meatuum habitu concentricam referre, reſpectivè ad nerveum viſceris germen, hoc eſt ad ſyſtêma integrum fibrillarum nervearum quæ hujus viſceris tanquàm animalem eſſentiam conſtituunt. Non aliter adhuc, & iſtud ex iiſdem principiis ſequitur, viſcera exquiſitô ſenſu donata, dùm in una eadem que corporis cavitate colliguntur (ut videre eſt præ cæteris in regione epigaſtrica vel præcordiali), quoddam actionis vividæ centrum conſtituere debent, cujus influxu portio textûs mucoſi viſcera circùmabientis, in ſuis meatibus aut cellulis ſaltem ſpectata, rursùs huic cavitati concentrica fiat. Præterea, diſpoſitionem hanc ce concentricam eo latiùs in textûs mucoſi circumjacentis molem ſeſe diffundere neceſſum eſt, quod vis actio-ve coadunata & plenaria (1) eorumdem viſcerum, ampliorem hujus molis (ſi fas eſt ità loqui,) latitudinem irradiaverit, & quòd frequentiùs renovata fuerit hæc actio. Deniquè tandem crebra hæc actionis renovatio quamdam in conſuetudinem mutabitur, quæ directionem concentricam cellularum aut meatuum textûs mucoſi, præfatam verſûs regionem magis ac magis firmabit & adaugebit. Sic etiam, inquit ſagaciſſimus *Bordevius*, in motibus alternis diaphragmatis dùm unus ex præſtantibus ſacculis à plevra & à peritonæo effictis diſtrahitur contenditurve, corrugatô tunc temporis altero vel laxato, in promptu eſt iteratos illos ſucceſſus non poſſe quin directionem aliquam actioni textûs mucoſi ambarum corporis extremitatum pariter ac trunci impertiantur. (2)

XI.

Dùm igitur in animali formam ſeù ſpeciem integram adepto, perpendere volueris tùm prædictas concuſſiones actioni fibrarum nervearum viſcerum potiſſimùm referendas, tùm illarum concuſſionum influxum in textum mucoſum ipſum-met vel in ejus exiſtendi modum; dùm rursùs attentè conſideraveris earum actionum organicarum latitudinem, nec-non de iſta conſideraveris plus minùs-ve in orbem textûs mucoſi diffundi juxtà ſcilicet organorum dotes, ſitum peculiarem quorumdam ex illis, legem terminationum variarum quæ ad productiones membranarum mucoſarum ſpectant, illam deniquè juxtà conſtrictiones ſivè naturales ſivè accidentales textûs mucoſi diffundi, (vid. §. VI, VII, VIII, IX) hæc, inquam, omnia dùm per-ſcrutari volueris, facilè quidem tibi innoteſcet quodcumque textûs mucoſi vel præcipuorum viſcerum *provincias* appellant, quas tamen luculentiùs adhuc illuſtratas apud ægros cernere datur.

XII.

Exiſtunt profectò actiones aliæ generaliores quæ à partibus nerveis vel ab organis ipſis-met in textum mucoſum exercentur, & quidem notatu

(1) Actionem iſtam plenariam ſeù complementum actionum organicarum, fruſtrà requiras, niſi priùs adfuerit pubertas.

(2) Vid. Recherches ſur le tiſſu mûqueux.

digniſſimæ ; tales ſunt 1°. Actio viſcerum epigaſtricæ regionis longè latèque irradiata, id eſt in hunc textum ad uſquè circumferentiam corporis quoquò versùs exporrecta. 2°. Actio partium internarum ſeù nuclei corporis, ſi ità loqui fas eſt, quæ actioni cutis aut partium ambitûs corporis, indefeſſo antagoniſmô contranititur, ità ut meatus cellulæ-ve totius mucoſi textûs conſtanter ſe habeant in ſtatu convergentiæ & divergentiæ, ingenſque textûs illius portio quâ confercitur ſpatium omne medioxumum inter ſuperficiem internam membranarum mucoſarum, & earum expanſionem extimam vel effluentiam in habitu corporis condenſatam (vid. §. VIII.), hæc, inquam, textûs mucoſi portio pari paſſu conſtringatur & relaxetur aut dilatetur. Hùc quodam modo recidunt très illi motus qui juxtà *Hippocratem*, à centro ad circumferentiam habentur, pariter que tàm ab intrò quàm ad extrà, & vice verſâ, qui omnes textum mucoſum plus aut minùs in partem trahunt, quibus que magis aut minus afficitur iſte.

XIII.

En probabiliora aut veriſimiliora quæcumque ex obſervationibus erui poſſunt, circà ortum, amplitudinem, formam que textûs mucoſi, quæque cum ideis à ſummo medicinæ parente de eadem materia traditis, non parùm conſentire videntur (vid. in *introduct.*). Ad præſens verò ex his concludi poteſt, 1°. irregularitatem nec non varietatem huic textui, quoad meatus vel poros, maximam incumbere, quippe qui ubicumquè ac conſtanter in pleriſque organis referat habitum cribroſum ſimpliciter-ve poroſum, ſtatui celluloſo intermixtum, nexu que ſociali utrumque implicatum, ſicut ille quôdam modo æquiparari valeat, notante clariſſ. *Bordevio*, lini depexi vel lanæ acervo. 2°. Ab eodem textu ſuppeditari materiem hoc eſt ſubſtantiam omnium humani corporis partium quæ, ſub hoc reſpectu, nihil aliud habendæ ſunt, quàm hujuſce ingentis organi portiones majori vel minori denſitatis & activitatis gradu præditæ, tanquàm humanum corpus in integrò acervus eſſet vel moles, juxtà typum à ſupremo numine inditum èffictа, materiei mucoſo-ſpongioſæ cujus in receſſubus aguntur omnia phænomena & munia quæcumque vitæ, tùm nervorum ope ſimul & vaſculorum quæ figunt decurrunt ubiquè illius molis ſubſtantiam ibique mirificè ludunt, tum ope liquorum variorum qui jugiter iſtius mæandros permeant, quibus que madet tota imbuta moles. 3°. Demùm obſervare juvat quàm inaccurata quàm manca ſit vulgaris nimirùm appellatio *textus cellularis*, quâ textum noſtrum ſignificari volunt, æquè ac idea quæ vulgò ut plurimùm huic appellationi alligari ſolet.

XIV.

Verùm enim verò fatendum eſt, ſtatum cribroſum vel celluloſum partium diverſarum corporis, licet vitæ morborumque phœnomenis apertè declaratum, non poſſe cultrô anatomico, ſaltem in ſingulis, omninò demonſtrari. Jamdudùm obſervaverat *Galenus* & poſt eum aliqui (1) experimenta apud vivos ani-

„ [1] Porrò arcani aditus quibus natura utitur ad trajiciendos humores, præſertim „ per membranarum poros, non facilè per extiſpicium revelari poſſunt, etiam ſi

mantes inſtituta, nec-non diſquiſitiones quaſcumque anatomicas parùm in his proficere, ut potè cum ſivè convulſionibus aut ſpaſmis quibus tentantur animalia ſic excruciata, ſivè frigore mortis conniveant ac viſum penitùs fallant meatus aliundè in animali vivo aut in ſtatu ſano maximè conſpicui & patentes; quod jàm de nonnullis venis notaverat *Hippocrates* (1). Nihilominùs tamen tanquàm vim ſeù pondus demonſtrationis referentia haberi poſſunt ſequentia experimenta à famoſiſſimo noſtro anteſignano *Bordevio* (2) indicata. »Si duas, »inquit, fibras ſibi invicem applicatas ex induſtriâ dividas, myriadem enaſci »videbis, quin potiùs produxeris, tenuïum ſtaminum mucoſorum quæ ſunt »inter ſe parallela, quibuſque millena ſpatiola interjacent. In his verò ſpatio»lis proximè ac immediatè ſibi adhærebant fibrillæ, vel nullum ferè occurre»bat gluten. Atqui talia ſpatiola quæ nuſquàm in animali vivo qualia in duabus »fibris disjunctis cernere datur, re vera tamen exiſtunt, primariaſque textûs »mucoſi cellulas efformant.» His adde, motum oſcillatorium quo vel minima quæque fibrilla corporis indefeſsè jactatur (3), obſtare, ut eſt veriſimile, adhæſioni punctorum quibus fibrillæ ſeſe mutuò tangunt, & proindè vacuolum quoddam exiſtere neceſſariò in loco eorum contactuum repetitorum. »Muſ»culi ſegmen rite priùs maceratum, pergit D. *Bordevius*, fac congeletur, gla»ciei fruſtula inæquales multum & irregulares cellularum formas æmulantia, »aliaque aliis invicem applicata reperies.» Notandum attamen eſt, poſtremum iſtud experimentum argumento eſſe ad unicam duntaxàt portionem textûs mucoſi videlicet *intermediarii* vel *textûs cellularis* propriè dicti, quemadmodùm omnia ſunt quæ à variis auctoribus ennarrantur & quotidiè obſervare licet, circà acus aliaque corpora acuminata quæ deglutita in ſtomachum, exin à cellula in cellulam trans mucoſum textum irrependo, ad uſquè corporis ambitum ſæpiſſimè devehuntur ubi exitum obtinent. Hùc forſan revocanda venit obſervatio, jàm à quinque annis proximè elapſis, facta apud teneram quamdam hujuſce urbis puellam, quæ cùm aciculam encauſto capite & quidem craſſo munitam incautè deglutiiſſet, hanc, paucis abhinc diebus, cum urinis abſquè ullo dolore in matula rejecit.

XV.

Reſtant nunc tradenda quædam nondùm hucuſquè (quantùm ſcire potuimus) tentata experimenta, quibus hancce queſtionem ulteriùs dilucidari cenſemus.

„viventium animalium corpora deglubantur. In iis enim membranæ, nervi & muſ„culoſæ fibræ, per inflicta vulnera in clonicas convulſiones adactæ, ſe ipſas & hu„morum fluxum ſubvertunt. E contrario poſt animalis obitum, ſolidæ partes conci„dunt, tùm liquidæ fluere ceſſant, & quæ in poros introductæ fuerant, in iis con„ſiſtunt & ſæpe concreſcunt. Quare utroque modo inveſtigator decipi poteſt. (*Thom.* „*Guidet. de nutrit.* § 25).

(2) „Hæ (*venæ multæ*) quamdiù homo vivit apertæ ſunt, & novum humorem „excipiunt & emittunt. Eo mortuo connivent & extenuautur. *De morb. Lib. VI. pag.* „502.

(3) V. Recherch. ſur le tiſſu mûqueux.

(4) *V. Clariſſ. Doctor Monſpel.* Roger de Lafermiere, *ſpecim. de fibr. &c.*

EXPERIMENTA.

I.

Junio menſe anni 1769, in parte fœmoris interna canis ſtaturæ mediocris inciſionem celebravimus, per eamque, mediante folii, cutim inter & muſculos habitûs corporis aërem inſuflavimus, adeò ut animal tumefactum tertiâ fere parte craſſius videretur. Oculi hujuſce horrendè tumebant extrà orbitas prominentes, vixque palpebris obtegi poſſe videbantur; lingua pariter tumefacta hians ac deductum os tenebat, quod quidem non rarò obſervatur in lanienis dùm inflantur boves & vituli. Per iſtam autem operationem, corporis habitus palmâ manûs fricabatur, vel leviter baculo percutiebatur. Conſutis vulneris oris, nec-non ſuperpoſitô emplaſtro agglutinante, ſibi relictus eſt canis in cubiculo concluſus. Erectum ſtetit animal, aſt interdùm pede errante vacillans ad murum, inclinatô capite, ſeſe applicabat. Ingenti horrore concuſſum videbatur iſtud, & dùm manu contrectabatur cutis, crepitus non ſecùs ac in quibuſdam emphyſematibus diſtinctè percipiebatur. Quadraginta octo horarum ſpatio alvus adſtricta fuit, ſed fluxu copioſo urinarum diù protractô adſtrictio iſta compenſabatur. Elapſis ſeptem vel octo horis, alimenta oblata vix deguſtare potuit, in eodem gradu tumoris conſtanter perſtans, qui tumor versùs tertiam diem remitti viſus eſt, ſensìmque decreſcens circà diem quintum omninò prorsùs evanuit. Nihilominùs tamen animadvertendum eſt, quod invitâ habitus corporis detumeſcentia, aliquâ ſuffocatione non nihil tentaretur canis, cum tumefactione manifeſta abdominis, quæ ſuffocatio, poſt integram detumeſcentiam, aliquandiù perduravit. Hæc porrò experimenta à clariſſimo quodam hujuſce Lycei Doctore, de integrò inſtituta ſunt, & quidem cum eodem omninò ſucceſſu.

II.

Sub finem menſis auguſti ejuſdem anni, ſubter cutem in textum cellularem abdominis, ſuper cadavere pueri quatuor circiter annos nati & habitûs opimi, mediante inguinis inciſione aërem inſuflavimus. Per iſtam aëris introductionem, ambitus corporis aſſiduè fricabatur. Primô aëris impetu intumuit abdomen juxtà latus inciſioni correſpondens, ingreſſui aëris ad latus oppoſitum obſtante conſtrictione laminarum textûs cellularis, ſeù fibrarum decuſſatione quæ in medio abdominis, ad lineam albam, obſervatur. Aſt, raptô tranſitu ob vim & copiam aëris, viciſſim intumuit latus alterum abdominis, licet tamen depreſſio levis in medio conſtans obſervaretur, quâ tumor abdominis velut in duos utres aut ſacculos ſectus videbatur. Interim ultrà progrediebatur aër, invitô novo quodam obſtaculo circà coſtas ſpurias obſiſtente; intumuerunt mammæ, paſſimque tumores aërei inæquales in utroque latere pectoris eminuere, ſimùlque aër cujus progreſſus ad partes ſupperiores paululùm impediebatur, maximâ copia ad inferiora detrudebatur; ità ut tum ſcrotum tùm penis monſtrosè intumeſcerent, non ſine comminatione diruptionis tegumentorum. Porrò interceptô progreſſu aëris ad partes infernas, ad ſuperiora viſus eſt faciliùs excurrere; ſicque continuatis verberationibus & frictionibus collum, facies, &, in hac potiſſimùm, oris labia & oculorum palpebræ, brevi poſt tumeſcere videbantur, æquè ac totum pectoris clauſtrum. Converſô cadavere, vulnus alterum inflictum eſt in parte poſtica & ſuperna fœmoris non procùl à coxa,

aëreque rurſus ad ſuperiora inſuflato, primùm ilia intumuere, qui tumor exindè ad lumbos nec-non ad ſcapulas, juxtàque ſpinam dorſalem, ex latere inciſionis protrahebatur. Retroverſô folle, aër ad inferiora immiſſus eſt, quo partes poſticæ fœmoris & tibiæ, pede tenùs notabiliter tumefactæ ſunt. Tandem conſutô vulnere, ad aperturam pectoris properavimus, vixque ſcindenti cultro omnes quicumque tumores in ſuperficie corporis delebantur. Pulmones tumefacti erant æquè ac pericardium, quod promptâ harumce partium detumeſcentia, levi licet ſectione, apertè declaratum eſt; quin imò viſum eſt pericardium pari paſſu ac pulmones detumeſcere. Deindè, apertô abdomine tumidum lien obſervabatur quod itidem, vix tangente ſcalpello, detumuit; aſt in omento & meſenterio paſsim diſſeminati in conſpectum veniebant tumores aërei qui mentiebantur hydatides, quique promptè viſum efugere. Hoc idem experimentum de novo factum eſt ſuper binis aliis cadaveribus humanis; verùm in ultimo res multò minùs feliciter ſucceſſit, ut potè quod in cadavere macilentiſſimo militis cujuſdam, in iſto noſocomio regio militari, tabe pœnitùs confecti, inſtitueretur. Hæc autem in mentem revocant obſervationem jam à plurimis annis in hac civitate factam, in quodam milite quem nebulones quos laniatores dicebant, viventem immaniter inſuflaverunt, mediante vulnere cuti inflicto, non ſecùs ac fit apud boves & oves in lanienis. Meminiſſe etiam poteſt, miſerum iſtum penè ſuffocatum, ſeſe ab orci faucibus eripuiſſe, cutem, & quidem tempeſtivè, ſibi ipſimet ſecando.

III.

Menſe martio anni 1770, per inciſionem in fœmore canis moloſſi factam, ope ſyphonis immiſſa eſt aqua, ad temperaturam naturalem canis, quoad potuimus calefacta. Mox truncus animalis in integro aquâ redundavit, quæ brevi poſt ad uſquè ſubter tegumenta cranii provecta eſt. Deindè abdomen impensè admodum intumuit, cruraque intumuerunt; per hoc iſtud experimentum animadverſum eſt, aquam textû mucoſo attrahi imò & combibi prout immitebatur, non ſecùs ac obſervatur de ſpongia vel de fruſtulo ſacchari quo ſuperficies cujuſdam liquidi, v. g. coffeæ, ſuſpensâ manu, delibatur, ita ut nulla compreſſione opus eſſet ad continendam aquam in vulnere, quoties ſyphon detrahebatur. Dein aquâ referto textu cellulari canis, ad copiam trium circiter pintarum, ſuturâque occluſo vulnere, pannis laneis ritè calefactis totum animalis corpus obductum eſt, ad fovendum calorem hujuſce atmoſpheræ aqueæ quâ circum ambiebatur. Sic ponitur involutum in cado ita illud coarctante, ut ab involucris ſuis nequaqàm ſeſe expedire poſſet. viginti poſt circiter horas materiem quamdam ſpumoſam ſaponi non abſimilem, nec-non alimentorum reliquiis intermixtam evomit, priùs anteà nonnullis materiebus liquidis per alvum ejectis; panni lanei paululùm madeſcere viſi ſunt; frigidum erat animal, jàmque incipienti rhonco tentabatur, nec-non vix pedibus ſtare potis erat cùm è cado extractus eſt. Tunc temporis jus carnium vino impregnatum deglutire cogebatur, ſimùlque pannis & linteis calidis illud excalefacere, totis viribus intendebamus. invitis hiſce omnibus curis & auxiliis, convulſus expiravit canis, circà horam quartam promeridianam, id eſt, viginti ſex horis ab immiſſione aquæ. Sectô cadavere, aqua plevram inter &

pulmones contenta reperiebatur, eâque madeſcebat textus mucoſus plevræ muſculis intercoſtalibus interjacens. Non majorem tamen quàm in ſtatu naturali aquæ copiam pericardium referebat. Pulmones ſyderati paſsìm in ſuperficie videbantur, vaſaque majora è baſi cordis emergentia, ſanguine poliposo conferta erant. Pauxillum aquæ in cavo abdominis repertum eſt, verùm, compenſatione quâdam, hâcce turgidus admodùm redundabat textus mucoſus omenti. Apertô cranio, aqua intrà cranium & duram-meningem collecta obſervabatur, cujus quantitas in ovi putamine contineri potuiſſet, videbanturque non nulli hydatides in pia meninge hùc & illùc prominentes. Ter repetita eſt hæc eadem experientia, eoſdemque fermè ſucceſſus habuit; quamvis attamen feliciùs adhùc ſuccedat aëre primùm inſuflatô. Clariſſ. *Batt* hujuſce Academiæ Doctor, nunc apud Genuenſes maximâ cum laude praxim agens, idem, nobis ſuadentibus, tentavit experimentum, cum eo tamen notando diſcrimine, quod aquam frigidam immiſerit, & ſibi ipſi relictum fuerit animal nullo involucrô obductum; mox itaquè expiravit canis, poſtridièque tantùm ſectum fuit cadaver; nihilominùs tamen omentum aquâ refertum obſervatum eſt.

IV.

Deſinente menſe martio anni 1770, ope ſyphonis, immiſſum eſt coloſtrum vel ſerum lactis tepidum in textum cellularem cutis, in cuniculo quadrimeſtri, prius inciſo fœmore ut in antecedentibus experimentis. Hæc autem operatio quôlibet bihorio vel trihorio iterabatur, totieſque vulnus cujus ora priùs raſa fuerant emplaſtrô agglutinante obducebatur, licet hæc cautio ferè inutilis eſſet, ut patet experimento precedenti. Alter verò erat cuniculus ejuſdem ætatis, qui impaſtus de induſtria in conclavo relinquebatur, quique poſt nycthimerum extinctus repertus eſt. Quod ad primum cuniculum attinet, pannis laneis & linteis calidis ſollicitè obducebatur, peractâ qualibet injectione coloſtri, & exindè in cado reponebatur. Hiſce curis adhibitis & paſtu ſic ab extùs ſuſceptô, altero cuniculo ſupervixit iſte, ſpatio fere triginta horarum. Sectô cadavere, non nullæ concretiones ſeù coagulationes lacteæ viſæ ſunt cutim inter & muſculorum ſuperficiem hærentes. Inteſtina craſſa materie quadam ſubviridi, liquida, nec-non ſtercoris indurati globulis referta obſervata ſunt, & vaſa lymphatica hepatis ſerô tenui valdè turgida conſpiciebantur. Hæc eadem experientia in quatuor aliis cuniculis facta eſt; verùm ampliùs, decoctum braſſicarum ſaturatiſſimum unà cum ſero lactis immitebatur. Ex iſtis qui diutiùs ſupervixit, non ultrà quatriduum vixit.

V.

Die vigeſimâ quinta menſis Septembris 1771, aqua tepida immiſſa eſt, quantùm immitti potuit, in fœmora canis venatici, nimirùm à parte ſuperna fœmoris ad uſquè pedes. Deindè partes ſic refertæ tibialibus quibuſdam laneis cautè obveſtiebantur. Elapſo ſeptem dierum ſpatiô, tumores iſti œdematoſi omninò diſcuſſi ſunt; aſt circà tertium diem, incipiente detumeſcentia partium, aſſuetô copioſiùs mixit animal, cum prius antè per aliquot tempus ilia duxiſſet.

VI.

V I.

Idem tentatum fuit in altero cane ; crura ſcilicet à parte ſuperna ad extremum pedem aquâ replebantur; tumores œdematodei ferè per dies decem perſtitere. Interim nihil aliud obſervatum eſt præter quoſdam vomendi conatus & quamdam difficultatem reſpirandi.

V I I.

Albumen ovi jàm à nonnullis menſibus corruptum, cum ſero ſanguinis putrefacto & fetorem intolerabilem ſpargente, partibus ferè æqualibus, commixtum, immiſſum eſt, mediante fœmoris inciſione, in habitum corporis canis ſtaturæ mediocris. Poſt biduum ſitis adfuit notabilis. Quartô die arteriæ fœmoris vehementer & frequentiſſimè micabant. Per hoc temporis ſpatium animal juſcula carnium vinô impregnata, nec-non aliquantam offæ copiam lubenter aſſumpſit. Exindè verò apetitus omninò fuit abolitus, imò & omnes quoſcumque cibos canis abhorruit. Quintô die, diarrhæa vexabatur quoties è cado extrahebatur, vixque pedibus ſtare poterat. Sextô die manè extinctus eſt; verùm intactum fuit cadaver ob ſummum fœtorem qui periculum in ſectione portendere videbatur.

Animadvertit Illuſtr. *Bordevius*, in pleriſque ex hiſce experimentis lamellas *textûs cellularis* dirumpi vehementiâ ſcilicet aëris introducti. Verùm exiſtimamus argumentum iſtud valere dumtaxàt, quod ad *textum mucoſum* medioxumum cutem inter & ſuperficiem ambitûs carnoſi corporis attinet. Aër & aqua liberè & ſpontè *textum mucoſum* permearunt à peripheria corporis ad uſquè cavitates aut partes internas. Quamobrem abitrari fas eſt, hæcce experimenta cum experimentis Clariſſ. *Bordevii* jam relatis, concurrere poſſe ad demonſtrandum tùm ſtatum *Cribroſum*, tùm permeabilitatem omnium omninò partium corporis, nec-non ad firmanda præcepta circà exiſtentiam *Corporis Cribroſi* ab *Hippocrate* nobis tradita. Proùt autem in hac diſſertatione progreſſum faciemus, videbimus quanta & quam utilia ſint corollaria quæ exindè, in gratiam doctrinæ phyſiologicæ & pathologicæ, ſpontè fluunt, veſtigiis *Bordevii* conſtanter inſiſtentes in adhibendis, pro re nata, obſervationibus & experientiis noſtris.

PARS SECUNDA.

Corporis Cribroſi ſeù Textûs mucoſi phyſiologicè ſpectati vel in ſtatu ſano, vires & uſus.

X V I.

PRior uſus textui mucoſo aſſignandus, & qui naturaliter deducitur ex iis quæ jàm in primo paragrapho part. 1æ. expoſuimus, ille eſt ut nervearum fibrillarum actionem temperet, nec-non ut plùs minùs-ve directè vel proximè influat in exiſtendi modum tùm iſtarum tùm organorum quæ animant, nimirùm obſiſtendo fortiùs aut leniùs eorum actioni, idque eò potiùs, quod nullâ

habitâ ſuæ molis aut voluminis ratione, textus iſte ſit, ex natura ſua, capax in organa reagendi, vel in ea reflectendi aliquantisper actionem ſeù motum ſibi ab eis impertitum. Hi verò effectus naturaliter fluunt ex diverſis denſitatibus, & ex majori vel minori, in variis organis, tenuitate textûs mucoſi, quæ omnia pendent à majori vel minori activitate aut ſenſu (1) fibrillarum quas vidimus ſuperius (in §. II.), moleculas ipſius muci quôdam modo ad ſe attrahere & ſibi adæquare; undè illi effectus, ſunt in ratione reciproca denſitatum & qualitatum muci. Sic, v. g., textus mucoſus organorum ſensûs qualia cerebrum, (nequidem exceptis ſpinâ medulla, ſenſuumque organis generatìm ſumptis) mollior, poroſior vel cribroſior eſt, quàm celluloſior, & compage vel materie tenuiſſimâ donatur, quaſi cremor eſſet vel flos ipſe muci; è contrariò textus organorum motûs, qualia cor, pulmo, muſculi &c., in genere celluloſior eſt quàm cribroſus vel poroſus, quin imò craſſus ſimùl ac denſiſſimus, in plurimis ex his-ce poſterioribus organis, exiſtit. Quod ad cætera verùm organa pertinet, qualia ſunt illa quæ verorum ſecretoriorum partem maximam ſiſtunt, proprius ipſorum textus mucoſus medius eſſe videtur inter poroſum propriè dictum & celluloſum, vel ex utroque compoſitus, ut priùs notatum eſt (vid. §. VI.); prò exemplo ſint hepar, renes plurimæque glandulæ &c. Enimverò facilè intelligitur, ad unicum & tranquillum ſenſûs officium exequendum, fibræ nerveæ quæ organis ſenſuum præeſt, ſufficere leve tantùm mucoſi textûs *organici* ſtratum vel tenue involucrum, quale requiritur ut in ea objectorum impreſſio minùs vivida evadat; dùm è contrà in organis motui præcipuè dicatis, fibra nervea corroborari debuit plurimô textû mucoſô, *organico* ſcilicet atquè imprimis *intermedio* (cui potiſſimùm, ſuâ conformatione, elaſticitas inhæret), quò ſenſus nimius retundatur, ſuaque fulciatur actio. Concipitur demùm fibram nerveam profectò munitam fuiſſe in veris ſecretoriis, juſtâ copiâ ſimùl & qualitate mucoſi textûs, quò iſta ſervarentur in eo ſtatu mixto ſenſûs & mobilitatis, qualis ad munia poſtremis hiſ-ce organis dicata exigitur.

XVII.

Atqui memoratæ textûs mucoſi denſitates variæ quæ fibrarum actionem temperant, privati cujuſcumque organi actione individuâ magis ac magis augeſcunt, pariter & actione ſeù compreſſione reſpectiva conterminorum organorum, unô verbo motibus vel exercitio vitæ quod indeſinenter nititur ad comprimendas propiùſque annectendas moleculas vel lamellas textûs illiûs, & ad earum cohæſionem magis atquè magis adaugendam. Hinc facilè percipias ætatum diſcrimen, variis (ut à præſenti argumento non aberremus,) in mucoſo textu gradibus denſitatis, neceſſariò ſignari. Sic puerili textum mucoſum mollem parùmque firmum, vel, ut ità dicam, immaturum ſortiuntur, quippè qui velùt in ſtatu pultis aut gelatinæ etiamnùm perſiſtat, ac

(1) Hìc obiter notare expedit, nos plerumquè vocem antiquam *ſenſus*, per decurſum hujuſce diſſertationis conſultò adhibere, quatenùs ſectam minùs redoleat quàm alia vocabula hujus-modi à plurimis neotericis in medium prolata.

ſint illius lamellæ teneræ fluxileſque ; dùm e-contrà compactus , tenax itemque ductilis in adulto ſeù adoleſcente reperiatur. Apud hunc-ce inſuper cernere eſt textûs mucoſi poroſitates aut meatus mirum in modum patentes , dilatatos , hoc eſt corpus cribroſum ſingulariter expanſum. Tandem apud ſenes textus mucoſus , comparatione habitâ cum illius ſtatu in adoleſcente vel in puero, valdè denſatus, conſtrictus & quaſi induratus conſpicitur , partìmque hujus-ce poroſitates obliterantur. Hæc verò textûs mucoſi denſitas immodica , hæc pororum obſtipatio ſiccitatem neceſſariò invehens , hæ binæ , inquàm , in dies accretæ ſenectutem ponunt, conſtituunt exprimunt , hiſque impeditâ magis ac magis fibrillarum activitate , vel proprietatum quibus ditantur exercitatione, id eſt ſensìm impeditis functionibus , lentè ſuffocatur aut deprimitur partium ſenſibilitas , ac demùm vita extinguitur. Sic itaquè in eo ſenſu dici poſſet cum *Macrobio* (in *Somn. Scipion.*) , *hebeſcit uſus animæ denſitate corporis.*

XVIII.

Ex illis variis gradibus denſitatis in textu mucoſo conſpiciundis , deduci etiàm poteſt virium diſparitas quæ inter individua invicèm collata , notanda venit , qualis concipitur inter plæroſque , v. g. , litteratos , & athletas vel aratores. Et quidem facilè intelligitur , apud ſubjectos hujus-ce ultimæ claſſis , videlicèt apud aratores , textum mucoſum tenaciſſimum exiſtere , nec-non maximâ elaſticitate donari , ob conatus multiplices , exercitationes magnas , duroſque labores quibus inſueſcunt iſti. Non aliter leo animal fortiſſimum exiſtit cùm , ex obſervatione Celeberr. d'*Aubenton* , mucoſi textûs lamellas ferè tendineas habeat. Sic ampliùs juxtà veteres malè huc-uſquè in plurimis confutatos , partes lateris dextri corporis compactiores robuſtioreſque ſiniſtris extant , ut potè quæ magis de more exerceantur ; licet tamen in hoc non parùm præſtet indoles peculiaris viſcerum in utroque latere repoſitorum , quorumque influxus mucoſi textûs habitum præcipuè regit. De hoc legi etiam meretur *Baglivius de fibra motr. ſpec. lib.* I. *cap.* VIII. *pag.* 325. Ad eos autem denſitatis ſtatus varios , nec-non ad habitum magis aut minùs ſpongioſum & rarum textûs mucoſi , refertur ſexuum differentia imò & gentium dùm alias aliis compares , quoniam cœli temperies ex eaque pendens vivendi ratio , in idolem , elaterem , aliaque accidentia mucoſi textûs influunt. Si deniquè varietatibus illis in ejuſdem textûs ſtatu (quatenùs ſtatus ille ſenſum aut activitatem partium modificat), majorem minorem-ve convenientiam, relationem adjunxeris quæ inter proprietatem ſeù facultatem fibrillarum unico organo vel pluribus pertinentium, & harum-ce textum mucoſum obſervatur, ſi perpenderis , v. g. , ex ea correlationum varietate , majus vel minus æquilibrium conſequi neceſſariò inter actionem fibræ & textûs mucoſi reactionem , exindè pronum erit concludere , *temperamenta* maximè referri etiam poſſe, ad exiſtendi modum textûs mucoſi ſeù ad illius habitum.

XIX.

Plurièṡ jàm diximus mucoſum textum in organa paululùm reagere poſſe , mediante quôdam elaſticitatis gradu ſibi proprio ; animadvertendum tamen hanc textûs facultatem , ex ipſomet non eſſe prorsùs repetendam , cùm textus

iſte ſit in ſe, id eſt in abſtracto conſideratus, corpus merè paſſivum aut phyſicum; ſed eam mutuatur facultatem tùm à nervis, tùm à vaſculis innumeris &c., quæ illinit & magis vel minùs proximè involvit, quibuſque annectitur & arctè conglutinatur. Idcircò motum & actionem obtinet ex his poſterioribus (id eſt ex nervis præcipuè), quibus veluti animatur, aut ſi fas eſt ita loqui, *animaliſatur.* Sic etiam nervis adſcribendus eſt motus ille contractionis & dilatationis quem, ut ſuperiùs obſervatum eſt, textus mucoſus aſſiduè patitur. Nihilo-tamèn minùs res non ita ſe habet, quin textus mucoſus habeat in ſe ipſo actionem ſibi propriam quæ, licet à cauſa merè phyſica pendeat, non minùs in fibrillas ſeù in earum facultatem influere valet. Sic, v. g., datis quibuſdam aëris temperiebus, laminæ textûs mucoſi magis aut minus laxæ fiunt vel contractæ vel tenſæ, ac conſequenter ejus cellulæ plus vel minùs expanſæ vel collapſæ aut flaccidæ evadunt, validiùſque exindè vel remiſſiùs ſuprà ſe agunt invicèm, pari que paſſu magis aut minùs dilatantur vel coarctantur ejus meatus; quæ quidem omnia pro variis tempeſtatibus variari adhùc poſſunt. Undè videre eſt, ſub his circumſtantiis, majori ſeu minori libertate vel facilitate ſuam actionem fibrillas exercere; nàm, quod ad earum facultatem inſitam vel animalem eſſentiam attinet, mutari unquàm iſta neſcit, ut jàm alibi notavimus (1); nequeunt enim fibrillæ *in ſe*, aut, ſi fas eſt ità loqui, *hypoſtaticè* fieri vel rigidæ vel laxæ, vel fortes vel debiles aut molles, ut vulgò dici ſolet; principium quô animantur penè par, ſub aliquo ſaltem reſpectu, phlogiſtico quô vivificatur metallum (2), immutabile ſemper eſt in ſua eſſentia, ſemperque idem perſtat, ac niſi in ſuis inſtrumentis vel in ſuis organis affici valet. Atqui hæc mucoſi textûs affectio quam merè phyſicam tantùm-modo diximus, ad ejus indolem referenda eſt quâ vel magis vel minùs tùm ad ſeſe expandendum & humectandum, tùm ad molleſcendum & indureſcendum, nec-non ad alia accidentia phyſica in ſua ſubſtantia vel materie ſuſcipienda, pronus exiſtit, non ſecùs ac, ratione conformationis cribroſæ & celluloſæ, facilè penetratur, imbuitur, dilatatur & contrahitur &c., quibus omnibus confirmari etiàm poſſent quæcumque, in ſuperiori paragrapho, retulimus circà diverſitatem gentium aliæ aliis comparatarum, (quoad robur ſeù vires phyſicas) cœli temperiebus, videlicet earum in textum mucoſum influxui, facilè adſcribendam.

Nunc verò obſervandum eſt, ab illis proprietatibus textûs mucoſi, id eſt ab ejus elaterio, & variis motibus unâ cùm »motibus cutis & totius ſyſtematis »fibroſi & vaſculoſi adjunctis, partìm foveri ſimul & ſuſtentari, inquit Cl. *Bor-* »*devius*, motum *tonicum*, ut appellant, quem novit *Helmontius* & adeò »ſagaciter enucleavit *Staahlius.*

XX.

Verùm inter mucoſi textûs uſus præcipuos ac magis ſenſibiles, & quos accuratius perpendiſſe ac peculiariter indicaſſe videtur *Hippocrates*, notandi veniunt ii qui ex hujus-ce textûs conformatione vel ex ſtatu celluloſo

---

(1) *Vid. Diſſert. de fibr. natur. virib. & morb.*, *& verb.* ſenſibilité, *in Encycloped.*, è quibus plurima ſanè deprompſimus.

(2) *Aquitan. miner. aqu.*

aut cribroſo, proximè dimanant, quos inter primas occupat *nutritio.* Et quidèm functio iſta (nutritio), ferè tota dicari videtur textui mucoſo qui illius functionis eſt ſubjectum immediatum. Hìnc faciliùs adhùc colligitur, quantùm textûs hic-ce, pròrata ſua parte, conducat in œconomia corporis animalis.

Ut clarè èluceſcat quod de hac materia tradituri ſumus, meminiſſe operæ pretiùm eſt, præcordialem aut epigaſtricam regionem præbere veluti fontem, aut focum præcipuum caloris ac motûs ex iſto foco aſſiduè proſilientium, quique ex-indè diffunduntur atquè irradiantur ubiquè in omnem ambitum corporis, ſic tamen ut ſivè cutis, ſivè partium peripheriæ corporis reactione, viciſsìm quamdam patiantur repercuſſionem, hoc eſt ad centrum refluere cogantur. Atqui nùnc, ſucci ex cibis digeſtione extracti, nec non centrali calore liquefacti, ac inſuper cum aqueo humore commixti, partìm è primis viis immediatè irrepunt in textum mucoſum, partìm verò lacteis vaſculis abſorbentur. *venæ enim quæ per ventrem & inteſtina feruntur, in quibus cibi & potus coacervantur, ubi hi incaluerint, id quod eſt tenuiſſimum & humidiſſimum attrahunt.* (1) Porrò ex hiſce lacteis vaſculis ſucci nutritii devehuntur in vaſa majora ſanguinea, quæ, ſicùt alia omnia quæcumque corporis vaſa, ſibi alveos ipſis-met trans-mucoſam ſubſtantiam adſtructa habent, nec non undequaquè ad extremos uſquè eorum fines, parvis meatibus aut ſpiraculis perforantur. Jàm verò ex memoratis vaſorum extremis finibus & multiplicibus ſpiraculis, ſucci alibiles effunduntur in textum mucoſum variorum organorum quibus attrahuntur, & quæ ſibi hos ſuccos privatìm aſſumunt & adæquant, eôdem propè modo quô, increſcente fœtu, agere ſolent, (vid. § II.) *corpus, à cujusvis generis ingeſtis, ſibi quod confert aſſumit, & una quæque corporis pars de ſingulis cibis* (2). Effuſi in textum mucoſum ibique depoſiti ſucci alibiles, aliundè in ſe vel in ſuis moleculis homogenei, exin à cellula in cellulam, à meatu in meatum progrediuntur, huic textui ſuas, per viam, apponendo moleculas, dùm ex eo pariter detrudunt priſtinas particulas & lamellas quas recentibus ſupplent. Atqui, ut veriſimile eſt, in hac lamellarum, appoſitione (ſcilicet in hujus appoſitionis actu) quæ nutritionis partem phyſicam (3) conſtituit, ſucci aqueâ parte aliquatenùs denudantur, qua ſuæ moleculæ, ut ita dicam tantum-modò extenſæ vel dilutæ in-

---

(1) *Hippocr. de carnib. ſect. III. pag. 252. foeſ.*

(2) *De victus rat. ſect. IV. pag. 365.*

(3) Nutritio alia dicitur *phyſica*, *Inſtrumentaria* vel *organica & ſecundaria*, ut loquitur *Staahlius*, alia verò *inorganica*, *eſſentialis*, *primaria*, à ſenſu vel animalitate pabulùm exercitii ſui indefeſſè quærenti admodùm pendens. Ut res, quantùm ad hancce poſtremam, clariùs conſtet, ſatis erit de conſideratione incrementi corporis, quod quidem incrementum, malè à ſola coagmentatione in ſolidis, id eſt à poſteriori tantùm, æſtimares aut definires; etenim ex illa lenta & ſucceſſiva particularum muci alibilis appoſitione, vix concipitur promptum illud incrementum quod plerumquè ohtinet corpus, nec-non proceritas, & quidem ſpectabilis, quam citiùs adhuc in quibuſdam morbis acquirit, quamvis corpus validè evacuetur, diætâ rigida, febre aliiſque morbi jactationibus aliundè vexatum, quibus in dies emaciatur.

natabant; (1) etſi tamen aqueus humor tanquàm vehiculum, notante *Hippocrate*, ſuccis nutritiis præbeat (2), quò faciliùs ingredi mucoſi textûs varias cellulas, diverſoſque hujus mæandros liberiùs permeare valeant iſti, in hoc quidem, irradiatione jàm notatâ motuum à centro ad circumferentiam, nec-non indefeſſô antagoniſmo partes externas inter & internas ſtabilito, peculiariter adjuti.

His porrò agentibus, talique mechaniſmô jactati ubiquè ac volutati ſucci in textu mucoſo, partibus eatenùs adæquantur, & ſensìm trans corpus illud cribroſum progrediendo, uſquè ad corporis ambitum perveniunt carnibus inſuper attracti, *carnes enim attrahunt*; hìnc ad intùs, motu inversô, veluti revehuntur, ſivè per eaſdem textus mucoſi vias aut per eadem vaſa recurſent, ſivè exſugantur à venulis quarum oſcula hiant in hoc textu. (3) vulnus fonticuli, v. g., quod antè cibos ingeſtos vix humidum extat, paulò poſt alimentorum digeſtionem inſpicias, tunc videbitur humore quôdam unguinoſo vel ſerô luxuriante madeſcere, in quo perſpiciuntur non nulla puncta albicantia quæ, veluti puris atomi, nihil aliud ſunt quàm hujus humoris moleculæ jàm coctionem aliquantam expertæ. Cæterùm dicit *Hippocrates*, *ab externis partibus alimentum ab externa ſuperficie ad intima pervenit*; *confluxio una*, *conſpiratio una*, *conſentientia omnia*. (4).

XXI.

Sic igitur nutritio, ope textûs mucoſi æquè ac in eodem ipſomet textu,

---

(1) Mucus, juxtà Clar. *Fordyce*, licet in aqua extenſus, neſcit viſciditatem ſuam adhæſivam amittere, niſi quatenùs putredinem ineuntem ſubit, Maximâ aquæ copia dilutus, inibi ſummoperè extenditur eamque ſaturat, verùm diſſolutione chymicâ immunis exiſtit, quoniàm certô caloris gradu iterùm, coadunatis moleculis, coagulatus concretus prodit. Aſt cùm nonnullis acidis, ut putà nitroſo, vitriolico & muriatico combinatus, efformat ſpeciem quamdam ſaponis in aqua ſolubilis. Itidem cum ſolutionibus concentratis alicujus ſalis metallici, nec-non cum ſolutionibus ſivè concentratis ſivè levioribus aut dilutis alcali cauſtici, vel terræ calcareæ cauſticæ efformat compoſitum quoddam in aqua ſolubile. (Vid. *Elements of the practice of phyſic.* &c.

(2) *Humiditas alimento vehiculum præbet.* (de aliment. pag. 383) Animadvertit Illuſtr. *Cullen* Profeſſor Edimburgenſis, majorem nutritionem dari, proùt adaugetur vehiculum aqueum. Sic vitulos refert multò meliùs enutriri vel faciliùs pingueſcere aquâ & lacte, ad partes æquales, mixtis, quàm lacte ſolo paſtos; quod phænomenum ex majori lymphæ alibilis dilutione ab humore aqueo, hujuſque moleculaꝛum faciliori appoſitione partibus corporis, repeti vult. (*Lectures on the materia medica*, *as delivered by William Cullen &c. London* 1773.) Aqua nili, juxtà quoſdam veteres, pinguefaciebat cùm vehiculum alimenti præberet; ſic, ait *Zacutus* ,, per amplos ,,meatus qui anteà præ ſiccitate connivebant, patenteſque poros, nutrimentum ad ,,corporis extremas particulas deduci poteſt, quo attractô ipſæ commodo fruuntur alimento & nutriuntur. (*Medic. princip. hiſtor. lib. II.*

(3) De hoc-ce humorum per eaſdem vias recurſu, legatur paſsìm *Hippocrates*. De cæterò motus retrogradus vel oſcillatorius ſanguinis in eodem vaſe tùm arterioſo tùm venoſo, quàm plurimis experimentis apud recentiores phyſiologos comprobatur; quod phænomenum jàm innuere videntur tùm inflexus varii, tùm anguli & implexus multiplices quibus notatur ſyſtematis vaſculoſi tractus vel habitus, tùm deniquè variæ anaſtomoſes. Verùm obſervatis pathologicis res apertiùs adhùc declaratur.

(4) *De aliment. lib. ſect. IV. pag.* 381.

peragitur, qui textus enutritur & corroboratur tùm ex moleculis alibilibus quas excipit & in rem ſuam vertit, has ſibimet veluti quâdam trulliſſatione apponendo, quæque ipſi ſunt maximè affines, tùm ex his quæ in ſtatu fluiditatis perſiſtentes commorantur in ejus cellulis aut meatibus quos replent, illiniunt vel irrigant continuò; *humor enim in corpore relictus robur præſtat.* (1) En adumbrata præſtantiſſimæ hujuſce functionis tabula qualis obſervatione, nec-non interlegenda *Hippocratis* opera exhibetur. Hic animadverti poteſt, 1°., nutritionem nihil aliud eſſe præter ſpeciem quamdam textûs mucoſi renovationem, illam que tàm ab intrò quàm ab extrà fieri. Hæc poſtrema veritas jàm ab *Hippocrate* (ut obſervavimus) notata, oculis fermè ſubjicitur in experimentis peractis apud cuniculos quos vidimus per ambitum corporis alitos; quod ſanè exprimentum, in præſenti quæſtione, tanquàm *experimentum crucis* haberi poteſt. Præterea, an tantùm per venam ſubclaviariam chylus in ſanguinem? Nùm quandoquè è receptaculo *pecquetiano*, vel è ductu thoracico, ſucci alibiles in textum mucoſum immediatè diffundi queunt? Vidimus in hoc gymnaſio anatomico unà cum expertiſſimo chirurgo & diſſectore D. *Laborie*, & quidem apprimè vidimus, vas quoddam albicans immediatè è fundo receptaculi pecquetiani emergens, quod æmulans craſſitie ſcriptorium calamum, juxtà partem dextram vertebrarum lumbarium, ad uſquè aortæ in iliacas diviſionem, rectô tramite protendebatur; exin citrà ligamentum fallopianum in dextrum femur, ſub muſculis internis craſſiſimis immergebatur, ubi viſum effugit. Dùm à parte infima aërem cum tubo inſuflabamus, tumebat illicò vas, tumebant etiàm, & quidem ſpectaculo mirabili, veſiculæ receptaculi admodùm diſtenſæ, ne dato minimô valvularum veſtigio. Tandem, hydrargiro repletis tùm vaſe iſto tùm receptaculo, hæc cautè è cadavere eximebamus, quò res meliùs diſcipulis pateſceret. Et ne dicant vas iſtud lymphaticum, etenim valvulis prorsùs omninò carebat; ideò *ductum thoracicum inferiorem*, illud appellari juvat. 2°. Videre eſt ſuccorum alibilium materiem eſſe ſemper unam & eamdem atquè unius generis (2), nec-non textum mucoſum ab ea penetrari ut omnes partes nutriat, ſicut ſpongia aquâ ſaccharo diluto fetâ penetratur, vel ab eadem attrahitur; etenim partes omnes, quatenùs mucoſo textu plaſmatæ, quodam modo ſe habent ad alibilem materiam, ut ſaccharum concretum ad aquam mixtam ſaccharo; nihil quidem eſſentialiter inter ſe differunt humores iſti, niſi in conſiſtentia & forma. Undè liquet quàm futilis, quàm vana ſit *Homæomeria Anaxagoræ* à neotericis quibuſdam maximæ notæ, in *moleculis organicis*, ſinon renovata, ſaltem æmulata; quàm itidem ſint commentitiæ ſeries illæ, per gradus diſtinctæ, vaſculorum minutiſſimorum à quibuſdam ingenioſè delirantibus in intimo conclavi excogitatæ (3).

---

(1) *Hippoc. de morb. lib. IV pag.* 507.

(2) *Alimentum unum, unum quidem, quatenùs genus unum.* (Hippocr. de aliment lib. pag. 380.)

(3) *Boerhaavius* effinxit quàmplures ſeries tùm vaſculorum minimorum, tùm molecularum in humoribus, mole & figurâ, diverſis diametris vel oſculis vaſculorum

vel perſpectæ partim dumtaxàt occulis quôdam privilegio donatis, imò & ſæpiùs fictitiis. De cæterò hùc revocari queunt experimenta celeberrimi *Guiddeti* quibus probare nititur autor, *ſuccum oleoſi chili, prò ejus traductione ad teneram vitelli membranam, abſquè canalium ope fieri poſſe.* (1) 3°. Demùm patet nutritionem aptè quidem peragi non poſſe, niſi quatenùs *corpus cribroſum* expanditur, ejuſque cellulæ dilatantur; undè eruenda veniunt præclara quædam hygienes præcepta. Enim verò nemo eſt qui non percipiat, quantùm conferre valeant exercitatio levis & moderata quies ad congruentem aut perfectam nutritionem. Et ut primùm ad ea quæ ad quietem pertinent deveniamus, ſomni phænomena perpendantur. Vires internæ per feriationem & remiſſionem externarum virium ac organorum ſenſuum adauctæ, è centro ad circumferentiam, unà cum calore faciliùs uberiùſque diffluunt; expanſio *cribroſi corporis* hujuſque veluti quædam rarefactio nec-non cellularum dilatatio, ex iis neceſſariò augeſcunt, & conſequenter alimentum fuſiùs liberiùſque in textum mucoſum diffunditur; quamobrèm corporis circumferentia (quantum dijudicare poſſumus ex iteratis ſuper nos-metipſos experimentis), videtur ampliari poſt ſomnum, (2) non ſecùs ac corporis proceritatem tunc temporis adaugeri, hodiè apud omnes inconfeſſo eſt. Non aliter *Hippocrates*, *poſt cibum autem calefacientes* (*ſomni*) *humectant alimentum diffundendo.* (3) Ex his quoquè ſalubres frictionum, balneorum, deambulationum, & verberationum effectus explicabimus, *Hippocratis* doctrinâ conſtanter freti, pariter ac obſervatione quam juxtà illam doctrinam dumtaxàt exponere vel interpretari juvat. *Quod verò in carne denſum eſt, ſi confricatur in ſe cogitur, cava verò augeſcunt, & quæcumque venas habent; excalefactæ enim & exſiccatæ carnes, alimentum ad ſe per venas trahunt, deindè increſcunt..... poſt cibum autem, (balnea) calefaciunt & humectant, cùm ea quæ in corpore ſuperſunt in majorem molem diffundunt... cùm homo movetur, corpus & cibi incaleſcunt, humiditatem igitur caro attrahit &c.* (4). Fortè etiam ex majori dilatatione cellularum & poroſitatum mucoſi textûs, potiſſimùm *intermedii*, ſub aëris tepidi & craſſi influxu

---

adæquatarum. *Aſclepiades* verò atomos ſeù potiùs moleculas diverſæ molis volebat, pariter diametro diverſiſſimorum pororum aut meatuum corporis aptè reſpondentes. *Boerhaavius* & *Aſclepiades* animi congruentiâ plurimiſque aliis, valdè ſunt inter ſe ſimilis. Eorum comparationem concinnè quidem & ſagaciter exaratam legere eſt in diario medico.

(1) „De hujus ſententiæ probabilitate me certiorem fecit repetita obſervatio de „gallina quadam floribus violarum paſta, quæ poſtridiè, matutinis horis, ovum „edidit cujus vitellus violaceum colorem & odorem referebat. Eadem gallina, mutatô alimento, id eſt poſt ingeſtionem maſſæ reſiduæ ab expreſſione olei juglandum „non nihil torrefactæ & contuſæ, obſcurô colore tinctæ, ſequenti mane ovum enixa, „vitellum præbuit ejuſdem omninò coloris & ſaporis. (*Joannis Thom. Guidetti Med. Taurinenſ. diſſert. phyſiol. & medic. diſſert.* 1*a. de animal. gener. pag.* 18. 3. 12.)

(2) Illud inſuper innuere videtur *Hippocrates* dùm ait, *caro quidem ſomno creſcit* (de vict. rat. lib. III.)

(3) *De rat. vict. pag.* 362.

(4) *Ibid.*

influxu continuô, rationem afferre poſſemus habitûs opimi apud coquos, laniatores & piſtores ſpectabilîs, quem *Zacutus Luſitanus* & Celeb. *Bordevius* notavere. Deniquè tandèm quod ad verberationes attinet, nemo neſcit *Galenum* de quibuſdam circulatoribus mentionem facere, qui per urbes imperii vagabant operam ſuam profitentes ad ſanandos vel pinguefaciendos pueros maraſmô laborantes; quodquidem aſſequebantur levibus & iteratis oportunè verberationibus *cùm ferulis pice illitis*. Notum eſt etiàm mangones quoſdam iiſdem hodiè verberationibus uti ut equos pinguefaciant.

XXII.

Inſtitutam, circà uſus textûs mucoſi ad ipſius penetrabilitatem quàm proximè pertinentes, invéſtigationem perſæquamur. Hâc mediante penetrabilitate, maximam ſuccorum aquoſorum copiam nunc magis nunc minùs redundantium, (queis immiſcentur alibiles moleculæ tùm veteres tùm crudæ, aliæque particulæ excrementitiæ vel recrementitiæ,) textus iſte, potiſſimùm illius *intermediaria* portio, continet. Hi verò ſucci utrinquè filtrationem in textu mucoſo, tanquàm in ingenti maſſa ſpongioſa quam imbuunt, experiuntur, directionibus pariter obſequendo variis juxtà motus diverſos mucoſi textui impreſſos. Sic ideò pars horum ſuccorum ſuperfluens, effetiſque vel excrementitiis particulis maximè feta intùs confluit, attracta renibus nec-non ſuccuſſionibus magni ſacculi peritonæi, ad circumjectas mucidas partes veſicæ quam penes eſt talium ſuccorum excretio. Atqui appulſus iſte humorum eò facilior eſt, quod viæ ſint introrsùs patentiores; *nàm corpus exteriore parte magis quàm interiore ſolidum exiſtit, & foramina habet anguſtiora* (1), quodquidem, aliquô modo, confirmatur tùm anatomiâ cujus face præeunte videmus vaſorum diametrum è centro ad corporis peripheriam minui, tùm notionibus habitis circà denſitatem inſignem ambitûs corporis, in hoc ambitu comprehenſis partibus carnoſis.

Altera pars ſuccorum aqueorum exuberans, quæque fluidior aut tenuior ac minùs particulis craſſis permixta obſervatur, uberiùs aut lubentiùs ad textum mucoſum ambitûs corporis defertur, quaſi foret, ut ita dicam, ſtratum precedenti humorum parti ſupernatans, ibique jugiter fluitat ac volutatur. Hæc eſt illa quam vocant *ſudoris* materiem, quæ vel exercitatione paululùm gravi vel immodicô motu, foràs in ſuperficie cutis proditur. Altera pars ſuccorum aqueorum tenuiſſima omniumque ſubtiliſſima, caloris interni energiâ in vaporis formam dilabitur, & humor perſpiratorius vel *perſpiratio inſenſibilis* appellatur. Supereſt deniquè humoris aquei portio quædam cæteris omnibus purior aut ſuavior, quæ impendi videtur ad maximam textûs mucoſi partem ſervandam in hoc ſtatu teneritatis vel recentis habitûs nec-non mollitudinis & madoris, qualis ad debitam organorum temperiem aut ad bonum habitum requitur; undè fit, ut huic poſtremæ portioni ſuccorum aqueorum, diverſa receptacula in corpore præbeantur. In ventriculis cerebri (2) collec-

---

(1) *Hippocr. de loc. in homine ſect. IV.* 4-12.

(2) Hic humor aqueus cerebri interni, ſedulò diſtinguatur opportet ab aqua quæ inter duram & piam-meningem collecta in conſpectum venit, quotiès cranium

tus humor iſte obſervatur, qui exin medullam ſpinalem circùm alluens, ad uſquè os ſacrum effunditur; ſic etiam anfractus auris internæ perfundit occupat, in quibus, ut exiſtimat eximius *Cotunnius* (1), nervorum acuſticorum muneri vel ſonorum perceptioni favet &c. &c.

XXIII.

Succi iſti à potu & cibo proveniunt. Interdùm adaugetur eorum copia per atmoſpheræ humiditatem quæ, veluti aquei illius atmoſpherici diſſolutione quâdam, a textu mucoſo, præſertìm *intermedio* qui corporis eſt tanquàm ſpongioſa atmoſphera, abſorbetur. Vidimus in experimentis, quanta facilitate quantâque [verbo ſit venia] aviditate, liquor per cutem inciſam immiſſus, textu mucoſo ambitûs corporis abſorbebatur. Narratur à viatore *Dampier* quod dùm mare circà oras Hiſpaniæ novæ navigaret, aquâ cæteriſque annonis deſtitutus, unum ex ſociis qui ne guttulam quidem liquoris cujuſcumque, per decem aut duodecim dies & ultrà, habuit quam bibere poſſet, mixiſſe tamèn quotidiè & affatìm mixiſſe ex more, tanquàm multùm potaſſet [2]. Obſervatur etiam, cùm per humidam tempeſtatem legio militaris incedit, pluriès in via ſiſtere milites urinæ crebrâ cupiditate percitos. Hùc etiam recidit abſorptio aquæ balneorum per ſpiracula cutis; quâ de re legi merentur Clar. *Alexandris* Chirurgi Edimburgenſis experimenta, circà uſum externum antiſepticorum facta (3). Jàm verò ſaturatio ſeù repletio mucoſi textûs ab humore atmoſpherico & ſubſequens relaxatio ambitûs corporis, horum-ce phænomenorum ſolutionem præbent. Verùmtamen nonnullæ cutis contractiones ſpaſmodicæ, quidam animi affectus à nimia nervorum mobilitate, ut videtur, concitati, multæque aliæ cauſæ quæ diaphragmatis, ac conſequenter magni ſacculi peritonæi, motiones regulares, nec-non meatuum *Corporis cribroſi* œconomiam naturalem alterant, repentinam urinæ ſudorumque excretionem movere valent. Negotiatorem in hac urbe novimus qui quotiès manus ſuas abluit, meïere illicò cogitur. Idem de Clariſſ. *Lamothe Le Vayer* refertur apud Ill. *De Haller*. vaſconem inclyti generis cognoviſſe *Julius C. Scaliger* aſſerit, qui morphyngis ſonô ſuam invitus urinam fundebat &c. Idem ſuntô, quod ad nonnullos ſudores de repentè prodeuntes ſpectat, quales dantur, v. g., à pavore. Atqui hæc omnia profectò minimorum vaſculorum theroriâ, nec-non *Harveïanâ* circulatione fruſtrà explicare contendas.

XXIV.

Non aliter à totius corporis & pulmonum ſuperficiei poris aut meatibus, aër exterior intrò trahitur, excipiturque in omni textu mucoſo cujus omnes

---

aperitur illæſâ durâ matre. Hæc autem aqua, quæ velut ſtratum ſuperius aquæ ventriculorum haberi poteſt, veriſimiliter materiem ſufficit perſpirationis aut ſudoris è capite diffluentis. [*Vid. Dominic. Cotunnii de iſchiad. nerv.*]

[1] *Dominic. Cotunnii, de aquæ ductus auris humanæ internæ* § LXXV, LXXVI.

[2] Voyage autour du monde.

[3] Expérimental eſſais.

quoſcumque receſſus, ad cerebrum uſquè, permeat juxtà *Hippoctatem* (1). Porrò organum iſtud aër ingreditur trans arctiora oſſis cribroſi foramina, aliaque benè multa quorum auxiliô facilis patet aditus ad encephali cavum, inter quæ recenſendi ſunt anguſti tympani tramites quos primus detexit *valſalva*, cæterique hujuſmodi. *Per hæc eadem foramina*, inquit *Pachione*, *vidi ego non aërem modò*, *ſed & Tyberis aquam in homine demerſo* [*cui cranium nuperrimè diſſecui*] *os inter & duram-meningem penetraviſſe* (2). In experimentis (vid. exper. III.), aperto canis craniô, duram-matrem inter & cranium, ſtagnantem aquam jàm antè per corporis ſuperficiem immiſſam conſpeximus. Sic etiam *Hippocrates*, *aër confert ad ventriculos ingreſſus*, *& ad cerebrum &c.* (3).

Ampliores ſanè quàm vulgò cenſetur partes agit aër iſte. Admiſſus irretitus in textu mucoſo, inibi modificationes & combinationes experitur (4), quæ multùm conferunt ad hujus-ce textûs robur, elaterium, expanſionem & permeabilitatem, pariterque ad bonum habitum vel aptam diſpoſitionem fibrillarum & totius corporis ipſiuſmet, quod exindè functiones faciliùs & alacriùs exercet. *Undiquè enim apertum corpus & reſpirans ac motum*, *quod conducat faciet* (5).

Attamen illæ modificationes, hæ combinationes quas in Corpore cribroſo patitur aër exterior, nec fieri nec ſubſiſtere valent, niſi quantùm in ſtatu ſano textus mucoſus perſiſtit, nec-non quatenùs ſuæ conformationis motuumque œconomiam aut ordinem, ut & alias proprietates integras ſervat, retinet. De hoc fidem facit hiſtoria emphyſematum quæ latitantis in textu mucoſo hujus-ce aëris exiſtentiam, fermè ipſis oculis exhibet. Et quidem cauſa

---

(1) „ Totum corpus ſpiritum intrò trahit, eumque plurimùm in ſuas quiſque „cavitates [*de carnib.*]

(2) *Diſſert. Epiſtol. ad Academ. Bonon.*]

(3) *De morb. ſacro*,

(4) Hic probabiliter aër diſſolvitur, ut loquuntur chemiſtæ, tùm à fluidis tùm à ſolidis partibus quæ alteratæ & continuò vitæ motibus depravatæ, indeſinenter aëreô elemento, fortaſſè etiam igneis particulis elementariis denudantur, quæ unà cum perſpirationis vapore dilabuntur, evolant. Dicimus tantùm, veriſimiliter aëre recens in corpus immiſſô, ſuppleri particulas elementares aëris quæ mox *præcipitantur*, ut loquitur Illuſtr. *Venel*, ineunte alteratione (penè diceres levi fermentationis motu (quam fluida, vitæ exercitiô, patiuntur (*v. lettres de M. Franklin*, *pag.* 346. *derniere Edition*,). Præſtantes effectus aëris *fixi*, ut vocatur à clar. *Prieſtley*, per enemata immiſſi apud non-nullos febre putridâ laborantes, hanc ſententiam fovere videntur (*v. lettre de M. Hey au Dr. Prieſtley.*) Notum eſt inſuper quantùm aër inficiatur aut corrumpatur emanationibus animalium putrefactorum. Rubeſcunt collaria violacea ſicut & claves in perula contentæ, perſpirationis effluviis (*v. Guidetti*, *loco jàm citàto.*) Mòx laudatus *Prieſtley* innumeris curioſiſque admodùm experimentis demonſtravit, aërem reſpiratione vel circulatione per pulmones peſſundatum, nequaquàm differre ab aëre corrupto animantium aut vegetantium putreſcentium inquinamentis. Undè concludit, probabiliter munus pulmonum aliquatenùs impendi in eliminanda emanatione quadam putrida, quâ forsàn corpus vivens promptè atque cadaver corrumperetur. (*Obſervations & expériences ſur differentes eſpeces d'air &c. Article IV.*). Addimus recentem aërem à pulmonibus excipi per reſpirationem, non ſecùs ac excipitur a ſuperficie corporis. Ex noſtris experimentis exiſtimari etiam poſſet, aërem ſubter cutem canis inſuflatum, partìm à textu mucoſo abſorptum, inibi combinationem quamdam expertum eſſe.

(5) *Hippocr. de locis in homine*, *ſect. IV. pag.* 346.

quæcumque interna vel externa quæ ſanam textûs mucoſi conſtitutionem lædit, vel quæ ſeorsìm aut generatìm ipſius elaterium peſſundat, ac proindè pervertit æquilibrium ſtabilitum inter motus qui in hoc orbe ſpongioſo aguntur, hæc, inquam, cauſa, ſub quibuſdam circumſtantiis, emphyſemata gignere valet. Sic, v. g., vulnus alicui parti inflictum, muſculorum & cutis quâ obteguntur iſti texturam emphyſemate afficit; quin etiam plerumquè torporem parti inducit, dùm ſcilicet conſtrictionem in mucoſo textu procreat, & in ea textûs portione elaterium dirumpit. De his phænomenis egit *Hippocrates*, dixit que, *cùm ergò flatus frigidi multi penetrent & inflent carnes, partes corporis torpidæ fiunt* (6).

Anno 1762 & juniô menſe, ad noctem mediam, quidam miles vinô captus, è feneſtrâ, quam cubiculi ſui januam arbitrabatur, quindecim circiter alta pedibus ruit, & ad uſquè diluculum remanſit in pavimento vel ſolo in quod ceciderat. Univerſô emphyſemate horrendè tumefactus repertus eſt; palpebræ mirum in modum turgidæ utriculos ſeù parvos pugillatorios folles aliquatenùs æmulabant. Turgentes etiam manus, turgenſque ſummoperè ſcrotum; crura pedeſque, ſed pauló minùs quàm reliquæ partes corporis, tumebant. Vixit tamen per quindecim circiter dies ab infortunio. Septem vel octo dierum ſpatiô emphyſema perſtitit, ac dùm evaneſceret gravis, in ea trunci parte ſuper quam corruerat, echymoſis exorta eſt. Apertô cadavere, pleræque ex coſtis legitimis lateris dextri penè in medio fractæ viſæ ſunt, arcûs inſtar quem ſi ultrà modo velis inflectere, partìm in medio crepitantem dirrumpas; aſt in priſtinam formam, videlicèt in arcum ſolitum, editô frangente conatu, confeſtìm elaterio ſuô reſtitutæ obſervabantur. Inter eas tamen tres annumerabantur nonnullis oſſium fragmentis aſperatæ, quæ fragmenta pulmonum ſuperficiem vix attingebant. Ex hac obſervatione clarè conſtat quid poſſit, quod ad aërem cum textu mucoſo & humoribus contextum attinet, deperditio toni ſeù vis elaſticæ in hoc textu; quid valeant ingentes perturbationes tùm in plevræ tùm in peritonæi ſacculis concitatæ; quid tan-

---

(1) „*Hippocr.* de *flatib*..... Utriuſque præfati effectus ratio eſt in promptu, juxtà „*Martianum*. Cùm enim flatus carnoſas ingrediuntur partes quæ cavitates amplas „non habent, eas intumeſcere neceſſum eſt; ex quo tumore compreſſio conſequi„tur nervorum qui per ipſas diſſeminantur, tùm quia exiles ſunt, tùm quia molles; „undè torpor ſuccedit libero tranſitu animalibus ſpiritibus interceptô..... quum verò „dixerit, *Hippocrates*, carnoſas partes intumeſcere, qualis ſit hujus-modi tumor „declarat, & inquit, *velut in trucidatis fiunt*, hoc eſt ſimiles ſunt intumeſcentiis quœ „in trucidatis conſpiciuntur, iis nempè qui ferro extincti ſunt.... hujus-modi tumo„res in jugulatis non ſemel obſervavi, in his potiſſimùm quos noctè ſub diù peremptos manè videre datum eſt. Eos enim & faciem & manus, cæteraſque partes „aëri expoſitas tumidas conſpexi tumore quodam molli, æquali non admodùm„que ſublimi. Hæc *Martianus* (*comment. in Hippocr.*) „ Aſſignata ab illo interprete cauſa torporis hujus in emphyſemate accedentis, vel dubio vel contentionibus maximè nobis videtur obnoxia. Magis nobis arridet quàm profert ratio de trucidatorum & jugulatorum emphyſemate, quod aëri introducto ab extrà & in textum mucoſum diffuſo adſcribit, quique, condenſatâ corporis ſuperficie ab ambientis frigore, non modò non evaneſcit, ſed arctiùs concluſus proximas humiditates in propriam naturam convertit, calore intrinſecùs adjuvante nondùm penitùs extinctô.

dem perverſio motuum internorum & externorum ab eadem cauſa dependens &c.

Menſe ſeptembris anni 1765. Aromatorii cujuſdam Edimburgenſis uxor, loco ſalis Glauberii immodicam nitri copiam, graviſſimô errore, intùs aſſumpſit. Brevi poſt de faucium conſtrictione & ventriculi doloribus crudeliſſimis conquæritur; accedunt cardialgiæ; quædam materies aquea, odore & ſapore nitri multùm imprægnata vomitu rejicitur. Eôdem penè temporis momentô, corpus mirum in modum intumeſcere cepit. Tribus quatuor-ve minutis ex quo evomerat elapſis, adeò ſe compreſſam & conſtrictam ſua loricâ balænaria ſenſit, ut eâ, ruptô quàm-citiſſimè funiculô, liberari aut tempeſtivè exui vix potuerit. Maximè tumebat etiam collum, & hæc inflatio creſcens eò devenit ut monili ſuô propè ſtrangularetur mulier, antequàm iſtud vel laxari vel præcidi poſſet. Tàm ingens tàm univerſale erat illud emphyſema, ut celeriter etiam laxari vel exſolvi tunicæ ſimùl & periſcelides debuerint. Accerſitus Clar. *Alexandre* doſi convenienti ipecacuanhæ vomitum ciebat, & oleoſis ac demulcentibus uti imperabat. Hâc ce therapeïa adhibitâ, omninò prorſùs evanuit emphyſema, peractô ſcilicèt quinquiès vel ſexiès vomitu. Addit etiam laudatus autor, mulieris hujus fauces, à ſummo œſophago uſquè ad inteſtina craſſa, per ſtimulum acrem ſalis nitroſi, eroſione tentari ſibi viſas eſſe; quod etiam ex diverſis aliis accidentibus patebat.

Ex hac Cl. *Alexandre* obſervatione, nova etiam erui poſſunt argumenta quibus evincitur quod paulò antè dicebamus tùm de ſuccuſſionibus illis ſacculorum ſivè plevræ ſivè peritonæi irregularibus & inſolitis, tùm etiam de perturbatione iis adſcribenda in æſtu ſeù fluento oſcillationum quæ trans mucoſum textum excurrunt vel in eo quaſi exſculpuntur. Etenim per hæc omnia læditur laminarum textûs mucoſi æconomia æquè ac ipſius elaterium, ſic-que diruuntur combinationes variæ quas aër expertus erat ſivè cum eodem textu, ſivè cum humoribus inibi contentis; unde fluidum illud ſibi quôdam modo reſtituitur, vel fit ſui juris. Hùc revocanda ſunt emphyſemata quæ à vermibus organa primarum viarum moleſtantibus producuntur, pariterque, ut eſt veriſimile, nonnullæ tympanitides aliique tumores emphyſematodei; quæ omnia ad *converſionem alimenti proximi ſolidarum partium in Gas Silveſtre*, refferri vult. *Helmontius* (1)

XXV.

In textu mucoſo, ut priùs obſervavimus, vaſa omnia ſibi ipſiſmet alveos adſtruunt; aſt notare etiam incumbit, veluti quædam ab illo textu præberi ſanguini receptacula, in quibus humor iſte ne quidem ullum circulationis, ſed ad ſummum aliquem oſcillationis motum experitur. Talia cenſenda ſunt, v. g., lien, corpora cavernoſa apud hominem & mulierem, ſinus cerebri vel duræ-meningis, non-nullæ anaſtomoſes, fortè etiam medioxumum ſpatium inter plurium venarum & arteriarum fines

---

(1) *De flatibus* &c.

qui plerique in textum mucoſum migrare videntur. Textus ipſe genarum, celluloſum veluti receptaculum haberi adhùc poteſt, quatenùs in eum, non ſecùs ac in cerebri ſinus lieniſque cellulas, portio quædam ſanguinis confugit, ibique deponitur ſub non nullis immodicis vaſorum compreſſionibus, vel aliis circumſtantiis in quibus proceſſus aut motus ſanguinis in directiones inſolitas cogitur. Sic igitur, datis violentis conatibus, mucoſus textus genarum ſanguine admodùm confercitur, undè rubore ſuffunduntur iſtæ; ſic in ſpaſmis quibus ab animi paſſionibus regio præcordialis vel epigaſtrica concuritur, modò pudoris colore egregiô vultus condecoratur depingitur, modò rubrum verecundiæ vel igneum iræ colorem induit. Non aliam hujus phænomeni rationem affert *Hippocrates*; *quam-obrem*, inquit, *ex omni corpore, potiſſimùm circà thoracem, ſenſus ineſt, colorum que mutationes contingunt, hoc venas conſtringente & laxante* (1); quæ quidem obſervatio minimè, ut videre eſt, cum ſyſtemate ſeriei minimorum vaſculorum, vulgatiſſimaque circulationis theoria congruit.

XXVI.

Mucoſus deniquè textus (*intermedius*) interſtitia ſeù vacuola ſuperficiei corporis occupat, ac proindè rotundos efficit partium ambitus, pariterque ad opimum corporis habitum confert. Partìm etiam huic debetur cutîs amœnitas, qualis in texturæ firmitate, elaſticitate & nitore reponitur &c. imò etiam textûs idem, ſedem, theatrum, promptuarium quàm-plurium morborum præbet, inter quos plurimi, ut in ſequenti parte videbimus, ſubſtantiam materiem ejus afficiunt.

PARS TERTIA,

Corporis Cribroſi ſeù Textûs mucoſi in ſtatu morboſo, id eſt Pathologicè conſiderati, vires & uſus.

XXVII.

PRæmiſſis conſiderationibus de natura, origine & forma textûs mucoſi, nec-non de ejuſdem uſibus & functionibus in homine ſano hactenùs habitis, ſupereſt ut hunc-ce textum in ſtatu morboſo contemplemus, id eſt ut inquiramus ipſius agendi modum in morbis, & alterationes quas ex his-ce ultimis patitur. In his autem diſquiſitionibus, erit ſemper nobis textus mucoſus tanquàm fidelis interpres (quod jàm in præcedenti parte fuit, dùm de doctrina phyſiologica *Hippocratis*) ad explananda multa circà pathologiam hujus

(1) *De oſſium natura pag.* 280.

ce medicinæ Romuli prolata, quorum enucleatio theoriis receptiſſimis etiamnunc omninò ſuperfuit. Primùm itaquè videamus quænam ſit *Hippocratis* ratio in pleriſque morbis conſiderandis, ſaltèm quod ad eorum cauſas vel, ut ipſe ait, *principia*, ſedes & effectus vulgatiores magiſque immediatos pertinet. *Morbi omnes*, juxtà, *Hippocratem hominibus ex bile & pituita oriuntur* (1), *& ex cœlo*, id eſt ex aëre; quandoquè etiàm *oriuntur*, *partìm quidem ex his quæ in corpore inſunt*, *pituita & bile*, *partìm verò ex his quæ extrà obveniunt* &c. (2). Morbi prædictis humoribus producti & de quibus ſtatìm ſermo erit, ex alimentorum & potuum redundantia originem ducunt, nimirùm cum ultrà corporis vires aut aſſuetum exercitium, eorum adeſt repletio; vel etiàm à ciborum qualitate, quiete immoderatâ &c., oriuntur; quæ omnia repletionem morboſam inducere valent (3). Addit inſuper *Hippocrates*, *mucus & ſaliva repletionem arguunt* (4); undè conjicere pronum eſt, pleroſque morbos à plenitudine, ad pituitam quæ humorum copioſior, tanquàm ad cauſam proximam, potiſſimùm referendos eſſe. Ut ut ſit, degit ferè ſemper in textu mucoſo humor exuperans, ibique ſensìm colligitur cum aliis humoribus permixtus; quod verbis expreſſis innuit venerandus ſenex dicens, *in hoc enim ſensìm collecta repletio*, *morbum invexit*, *quod cibi labores ſuperent* (5)..... *Cùm cibi labores ſuperant*, *paulatìm collecta repletio exiſtit* (6). Quandoquè tamen humor circà certa quædam viſcera magis affluit, quibus attrahitur mediante quâdam affinitate quæ refferri poteſt ad privatas organorum facultates, vel ſaltèm ad qualitates veterum occultas. Perſæpè etiam abundè colligitur in textu mucoſo binorum ſacculorum plevræ & peritonæi medioxumo (7), ſivè in hunc immediatè ex ſtomacho irrepat, ſivè defluat è capite quod veluti pituitæ promptuarium aut receptaculum habebat *Hippocrates*. (8) Superfluens humor in his textûs mucoſi portionibus coâcervatus, ibi quaſi ſtationalis hæret, aut ſaltèm levi tantùm oſcillatoriô motu donatur à centro ad circumferentiam & vice verſâ, aut à partibus ſupernis ad infimas movetur; *Secerni* enim non poteſt (9), *cùm ambitum non habeat*.

---

(1) *De intern. affect. ſect. V. pag.* 516.

(2) *De Morb. lib.* 1. *pag.* 446.

(3) Vid. apud *Hippocr.* paſsìm *in lib. de vict. rat.*, *de Morbis &c.*

(4) *De vict. rat. lib. III. pag.* 369.

(5) *Ibid.*

(6) *Ibid.*

(7) „Quibus inter ſeptum tranſverſum & ventriculum pituita concluditur &c. (*Aphor. lib.* VI. *ſect.* VII. *pag.* 1260.)

(8) „Ingeſtorum ciborum copia corpus irrigat. Ipſa verò humiditas a ventre in„tercepta, magnâ copia ad caput viam affectat, (*de loc in homine pag.* 408). Quod „ſi non exeat, ex capite in corpus deferri & ventriculum petere neceſſe eſt &c. „(*de morb. lib. IV. pag.* 500.) Aſſevero autèm quod quicquid in cibo aut potu pituitoſum „ineſt, id ubi in ventriculum venerit partìm corpus ad ſe trahit, partìm verò ca„put quod, velùt cucurbita corpori incumbens, pituitam attrahit quæ cùm viſcoſa „ſit, hanc alia ex alia ad caput ſequitur. „(*De morb. lib. IV. pag.* 499) vid. etiam *de loc. in hom.*, *de morb. lib. I*, *& de morbo ſacro lib.*, in quibus plurima leguntur circà aſcenſum pituitæ ad caput, ejuſque defluxum in ventres inferiores.

(9) „Antè turbationem verò non habet quò ſecedat humor qui copiâ ſuperat, ſed „cùm alio permixtus ſursùm & deorsùm volutatur (*de morb. lib. IV. pag.* 509.)

XXVIII.

Atqui humor ſuperfluens ſic hærens & collectus in textu mucoſo, eum moleſtô premit onere, & hujus occludit poros & meatus; quod intellexiſſe videtur *Hippocrates* dùm ait, *ſpiritus meatus opplent cùm multa ſit repletio* (1). Exindè habituales vel naturales motus totius hujus-ce textûs molis perturbantur; directio cellularum aut meatuum, ac conſequenter humorum motus, pervertitur; hìnc neceſſariò datur incommodum vel læſio functionum plus minùs-ve notabilis, quæque ſeriùs ociùs-ve perſentitur proùt major vel minor eſt quæ adeſt repletio, humorque plus minùs-ve qualitate moleſtus (2); *exuperantem enim copioſiorem humorem, homo ſuſtinere non poteſt* (3), quem tamen nonnulli *præ robore aut bono corporis habitu*, diutiùs aliquandò perferunt, *donèc principium quoddam accedat* (4). Quamobrèm neceſſe eſt ut humor exuperans evacuetur, & illa evacuatio fit ope cujuſdam *conturbationis* quam vel ars proritat exercitationibus, fomentis, frictionibus, vomitionibus aliiſque auxiliis quæ humorem exuperantem movent & ad *ambitum* provocant, (5) vel circuitus quidam virium jam ab *Hippocrate* notatus (6), id eſt vis illa *naturæ totius corporis partes luſtrantis & expurgantis*, juxtà *Ballonium*. Sic dantur febres diariæ, febriculæ nocturnæ quas excipiunt ſudores, urinarum fluxus, diarrhœæ leves quibus ab infarctu viſcerum vel ab obſtructionibus præcaventur quàm-plurimi litterati, ſtudioſi, nec-non pueri temperamentô prioribus non abſimiles; vel cietur *conturbatio*, novô alimento accedente & obviàm facto [7]; *quæ enim eduntur & bibuntur alia aliorum ſunt medicamenta* (8), ut teſtatur quotidiè victus peculiaris à ſummis artis proceribus, in nonnullis morbis, peritâ nec-non auſpicatâ manu exhibitus; vel tandèm memoratam conturbationem excitare valet, certis quibuſdam temporibus, præſertìm diebùs imparibus, natura ſui conſervatrix, validô quôdam impetu in materiem noxiam irruens, ut patet in judicationibus morborum quæ, haùd infrequenter, vomitu vel diarrhœis mucoſis criticis manifeſtantur, quibuſque nonnulli morbi à repletione, feliciter ſolvuntur [9].

XXIX.

Conturbatio iſta *febre* potiſſimùm ſignatur. Enim verò dùm fibrillæ nerveæ ab

(1) *De vict. rat. pag.* 369.

(2) „Copioſum autèm aut paucum ſui ſignificationem exhibet... & ſi quidem copioſa pituita fuerit, confeſtìm corpus gravarit; ſi verò pauca, non utiquè gravarit &c. (*De morb. pag.* 507.)

(3) *De morb. pag.* 505.

(4) Ibid. pag. 451, 452, 507.

(5) „Dùm moventur autem vacuantur (*humores*) (*vid. de morb. pag.* 509.)

(6) *De morb. lib. IV.* 503, & ſequent.

(7) Vid. paſſim apud *Hippocr. de morb. de vict. rat. &c.*

(8) *De morb. lib. IV.* pag. 500.

(9) „Humoris moleſti aliquid à recenti humore ſuperatum, extrà corpus propellitur, & ad inferiorem alvum defertur quæ unà cum moleſto humore incaleſcit, in ſe-que magis quàm antèa recipit; quod in morbi judicatione contingit (*de morb. lib.* IV. *pag.* 506.)

ab humore redundante moleſtiam capiunt, convelluntur, contrahuntur, & partes ambitûs corporis in conſenſum trahunt id eſt contrahunt; undè rigor concentratio virium & humorum, donèc calor, vires & humores diutiùs coacti, tandèm, veluti exploſione quâdam, ab internis partibus ad externas imò & per totum corpus æquabiliter diffundantur [1]. Porrò in hac caloris & motuum diffuſione, humor exuperans *commovetur, incaleſcit, & quicquid eſt tenuiſſimum eliquatur & ſecernitur, partìmque foràs prodit, partìm verò intùs in corpore remanet; quod autem à calore attenuatum eſt, in vaporem vertitur & cum ſpiritu mixtus foràs prodit*, (tanquàm rarefactione quâdam textui mucoſo inductá). *Hæc igitur ſunt ejuſmodi & ex his ſudor oritur* (2). Hæc eſt genuina *Febrîs* deſcriptio qualis fermè ab *Hippocrate* ipſomet exaratur, cujuſque omnia quæque lineamenta ad doctrinam textûs mucoſi neceſſariò revocant, qui textus à febre, ut liquet ex ſuperiùs allatis, peculiariter vexatur.

XXX.

Verùm niſi humor exuperans in hac conturbatione expurgetur, id eſt ſi intùs in corpore multus poſt ſecretionem remaneat, tunc varias ſortes in corpore ſubit, nimirùm vel *in morbum inſumitur dùm ampliorem locum acceperit & volutatur, non ampliùs cum alio permixtus* (3); vel firmatur in textu mucoſo, *cùm ambitum non habeat & quieſcat* (4); *nequè ſanè in corporum carnes æquabiliter coït, ſed in carnoſas partes* (id eſt in textum mucoſum *intermediarium*), *ità ut his quidem donèc exeat moleſtiam exhibeat &c.* (5), undè adaugetur longiùſque protrahitur febris, vel datur morbus pertinacior difficiliorque. Hæc ſunt quæ circà hanc-ce pathologiæ partem aperuit nobis *Hippocrates*, videlicèt *quæ tùm plura, tùm pauciora in corpore contingunt, & ex quo ægrotant, quodque morbi diebus imparibus judicantur, & quænam ſunt morborum principia, & quænam horum ſingula in corpore faciunt & morbum adducunt, ex quo etiam rigor ipſe febrilis contingit, quamque ob cauſam poſt eum febris ſuccedit* (6); quæ omnia ulteriùs, progrediente ſermone, dilucidabuntur. Interìm plerorumque morborum à plenitudine ſedem in textu mucoſo, præſertim *intermediario*, ex *Hippocrate* ipſomet reponendam eſſe in promptu eſt (7), horumque cauſam materialem, proximam conſiſtere, ſaltèm

---

(1) „ Coactô autem cumulatìm plurimô ſanguine, aër ipſe qui ſanguinem refrigeravit, à calore ſuperatur, rursùs incaleſcit, incenſuſque ac velùt igneus exiſtens „ in toto corpore calorem excitat „ (*de flatib. pag.* 298). Et alibi, „ ſanguine in ſe „ coëunte & condenſatô, dùm venæ contrahuntur corpus contrahunt & tremorem „ excitant. Quod ſi minùs in ſe coëat ſanguis, hoc modô rigor appellatur. (*De* „ *morb. lib.* 1. *pag.* 458.)

(2) *Hippocr. de morb. lib.* 1. *pag.* 458. Et alibi, „ quod incenſum eſt liquatur, ex „ eoque ſpiritus oritur quò, ad corporis meatus irrumpente, ſudores fiunt „ (*de* „ *flatib. pag.* 298.)

(3) De morb. lib. IV pag. 509.

(4) „ Aſſero autèm partem ejus humoris qui eſt in homine cùm colliquatus fuerit, in „ ſe concreſcere & incraſſari donèc morbum pariat (*de morb. lib.* IV. *pag.* 510.)

(5) De vict. rat. pag. 364.

(6) De morb. lib. IV. pag 498.

(7) Heù! tale etiàm fuit majorum noſtrorum idioma, exìn, lugendô infortuniô, vitia-

plerumquè, in *plethora* quâdam *mucoſa*, ut ingenioſè loquitur Illuſtr. *Bordevius*, id eſt in humore mucoſo exundante qui ſensìm collectus in textu prædicto, ibi plus minùs-ve mobilior aut fixior exiſtit, ibique immoratur donèc, ob moleſtiam *ſenſui* vel ſenſibilitati partium inductám, foràs propellatur. Sic iterùm eluſceſcit & inconcuſſa manet ſententia *Hippocratis*, *nequè enim morbi derepentè hominibus contingunt, ſed paulatìm collecti acervatìm ſe produnt.* (1).

XXXI.

Hanc-ce *Hippocratis* doctrinam recentes theoriæ tanquàm fabuloſam repudiavere, utpotè quæ legibus circuitûs ſanguinis, & ſerierum minimorum vaſculorum ſyſtemati nequaquàm accomodari poſſet; verùm quæ jàm, in præcedentibus, expoſita ſunt de textûs mucoſi permeabilitate, de univerſa pororum & meatuum inter ſe communicatione, de hujus-ce textûs ſtatu paſſivo, de variis conſtrictionibus ſeù ſtrangulationibus quibus obnoxius eſt, de contractione & dilatatione quas alternatìm patitur ex indefeſſo virium externarum & internarum antagoniſmo, tandèm quæ de nutritione tradidimus, hæc omnia profectò varia puncta hujus-ce pathologici compendii mirè dilucidant atquè confirmant. Hìnc clarè adhùc eluſceſcit modus quô humores in textu mucoſo vel in quibuſdam hujuſ-ce portionibus, côacervari ibique commorari valent, hìc totidem morboſas coâlitiones vel ſtrata morbifica efformaturi, quorum liquatio, reſolutio & evacuatio magis vel minùs lentè ac difficilè abſolvuntur, & phænomenis plus minùs-ve periculoſis ac complicatis ſtipantur.

XXXII.

Horum-ce dogmatum auxiliô facilè concipitur, infinitis penè numero cauſis in textum mucoſum agentibus, ſtrangulationes alioſque affectus in hoc textu dari, quibus ſucci, præcipuè mucoſi, inibi detinentur; undè infarctus, obſtructiones plus minùs-ve graves oriuntur in variis partibus &c. Sic, v. g., *Inflammatio* veluti mucoſi textûs ſtrangulatio ſpectari poteſt, cui proximè anſam præbet *tuberculum* (2) ſeù glomeramen mucoſum quod, tanquàm aculeus infixus vel, quod idem eſt, tanquàm ſpina *Helmontii* haberi poteſt, ſaltèm quod ad effectus pertinet. Hoc tuberculum vel hanc ſpinam irradiant tùm vaſa minima hùc pertinentia, tùm fibrillæ nerveæ quæ præ cæteris tuberculô prædicto moleſtantur, diſtrahuntur, & convelluntur. Fibrillæ autem iſtæ ſic diſtractæ ac proritatæ, dolorem nec-non calorem intenſiorem invehunt in-

---

tum aut corruptum. *Rondeletius*, de hoc eodem argumento, præ cæteris, exproſeſſò diſſeruit. *Hippocrates*, ait ille, „ prò certiſſimo ſcripſit quibus quotidiè rigores fiunt, „ quotidiè febres ſolvuntur. Solvuntur autèm quotidiè, quia materies eſt per habitum „ ſparſa & diſſeminatur, id eſt extrà venas ſub cute in carne. „ Addit inſuper quod „ ſudor in declinatione febris adveniens, eſt evacuatio carnis immediatè & cu„ tis & non venarum. [*de curand. febr. pag.* 755. & *ſequent.*]

[1] *De vict. rat.* pag. 341.

[2] Vox ex *Hippocrate* mutuata.

parte, undè attractio virium & humorum, ſi quidem *pars quæ calet attrahit* (1), ut penè diceres de affixa cucurbitula. Ex altera parte, textus mucoſus veluti rarefactus calore adauctô, favet quam-plurimùm appulſui virium & humorum; hìnc tumeſcit pars vel caro ſublimis fit (2), motuſque & facilis tranſitus inibi magis ac magis adaugentur, qui motus & tranſitus humorum, potiſſimùm ad vaſa majora ſpectant, præ copia, viâ minoribus vaſis ſensìm interceptâ (3). Preſſô pede ſequitur *Suppuratio*; etenim humores qui vaſa minima textumque mucoſum confarciunt, datô quôdam *ruptô*, mòx coctionem aliqam ſubeunt & in pus vertuntur, calore, humiditate & motu adauctis, ut jàm notavimus, in parte. Atqui pus iſtud fovens, humectans & demulcens partem, quæ jàm, accedente coctione, inceperat conſtrictionis in textu mucoſo ſolutionem abſolvit; *calefacti enim nervi relaxantur* (4). Quòcircà animadvertendum eſt, textum mucoſum ſivè tunicarum vaſorum minimorum, ſivè *intermediarium* ipſummet, ampliùs in hac coctione partìm liqueſcere, undè conſiſtentia humoris adaugetur, veraque ſuppuratio ſtabilitur. Hæc autem liquatio textûs mucoſi comprobatur tùm depreſſione, tùm excavatione quæ puris evacuationem, id eſt ulceris expurgationem, excipit (5). Tandèm, evacuatô pure, in cavum ulceris effunditur materies mucoſa recens quæ, veluti liquamen ferruminans, *Cicatricem* inducit. Hæc inflammationis theoria ferè in integrò ex *Hippocratis* ſcriptis deprompta, nec-non obſervationi conſentanea, mirum in modum, ut videre eſt, favente textûs mucoſi doctrinâ evincitur ac confirmatur. Ex ea præſertìm neceſſitatem & felices exitus tùm venæ-ſectionis in parte affecta celebratæ, tùm quorumdam topicorum, in quàm-plurimis inflammationibus, præjudicare poſſumus.

XXXIII.

Attamen in quibuſdam inflammationibus, ob diutiùs protractam textûs mucoſi ſtrangulationem, debilitatô vel depreſſô fibrillarum nervearum ſenſu, extinctôque calore in parte, laminæ textûs mucoſi labefactantur, ejuſque œconomia pervertitur; undè humores hærentes veluti ſibi relicti nullam admodùm coctionem experiri valent, quin è-contrariò corruptelam ſuſcipiunt cui, natura ſuâ, ob mucum quem continent, proniſſimi ſunt. Sic viciſsìm

(1) Vid paſsìm apud *Hippocr.*

(2) „Caro autem ſuſcipit cùm nimirùm ex inflammatione ſublimis exiſtit; cùmque „eò pervenerit, ſubterfluens ſanies putrefacit & attollit (*de loc. in hom. pag* 418.) „carnes rarefactæ tranſitus præbent (*ibid pag.* 411.)

(3) „Ubi verò carnes tanquàm ſpongia oppletæ fuerint, non ampliùs dimittunt, „ſed in ſe retinent, quoad ex ipſis aliquid per locum vacuetur. Cùm enim in unum „collectus ſanguis fuerit, præ copiâ viam intercipit. (*De morb. lib. IV. pag.* 509.)

(4) *Hippocr. de flatib. pag.* 298.

(5) „Vix in phlegmone ſuppuratio fit ſinè carnis eroſione; id ſinus indicat poſt „puris èvacuationem; & ſanguis extrà vaſa fuſus & calefactus, humidam & calidam „carnem quam attingit corrumpit, ex qua carne, ſi natura robuſta fuerit, verum „pus naſcitur cui non rarò admiſcetur aliquid *Pyodes* ex humoribus, ſanguine „extrà vaſa effuſô. „(*Ballon. conſil. medic. lib.* III. *pag.* 235.)

corrumpitur textus ipſe mucoſus, tuncque adeſt extinctio, ſaltèm incipiens, vitæ in parte, id eſt *Gangrena.* Quandoquidèm etiàm in nonnullis inflammationibus internis contingit, ùt textûs mucoſi ſtrangulationes per ſuppurationem non evaneſcant; aſt ſymptomata tantummodò mitigantur aut paululùm remittuntur præſentiâ puris non exitum habentis, quodque ſensìm copioſius factum proùt carnes, id eſt textum mucoſum, depaſcitur, tandem ociùs ſeriùs-ve ſopita ſymptomata exſuſcitat ac renovat. Verùm tunc temporis debilitata pars evacuationi materiei non ſufficit; quamobrèm auxilia quædam adhibenda ſunt quibus tonus, elaterium-ve hujus-ce textûs reſtituatur, atquè inveteratæ fibrillarum contractiones ſpaſmodicæ penitùs diſcutiantur. Hæc perſæpè obſervanda habemus in plurimis pectoris affectionibus acutis non probè judicatis, vel in ſuppuratum vergentibus. D. *Taillarda* tinctor qui propter ædes fratrum minorum obſervantiæ habitabat, para-pleuritide correptus eſt, circà vigeſimam diem à prægreſſa mucosâ ſeù catarrhali pleuritide. De maxima igitur reſpirandi difficultate conquerebatur, & nihil niſi erectus aut reſidens in lecto ſtare poterat. Priſtinus lateris dolor recruduerat comitem habens tuſſim moleſtam cùm ſputis paucis & incoctis; brachium inſuper totaque manus, ex dolenti latere, tumore œdematoſo occupabantur, & pulſus æquè ſe habebat ac in ſuppuratis & tabidis. Evidens eſt morbi prægreſſi criſim fuiſſe imperfectam; hærebat concluſa materies muſculos intercoſtales inter & plevram, ibique luxurians textûs mucoſi ſtrangulationem fovebat; indè ſuccuſſio, diſtractio fibrillarum ſimùl & plevræ, ac, per continuitatem hujus-ce membranæ nec-non textûs mucoſi adhæreſcentis, dabatur infarctus pulmonum, itèmque affectio nervorum brachialium quæ vicîſsim ſuffuſionem portionis hujus-ce materiei, calore vel coctione quâdam ineunte magis tenuatæ (id eſt liquatæ), à cellula ad cellulam ad uſquè totum humerum & manum promovebat. Textus iſte ampliùs in ſua ſubſtantia confligtabatur ab ea copioſa ſuppuratione quæ liquaverat quàm-plures ipſius lamellas. Hâc deperditione debilitatus, vix conferre potis erat ad debitos conatus edendos quibus materia per pulmones evacuaretur. Verùm diſcuſſâ vel ruptâ, ut ità dicam, ſtrangulatione (quatenùs ſcilicet, ope veſicantis ſuprà latus dolens applicati, textus mucoſus & plevra priùs concuſſa fuerant & ad priſtinum elaterium reſtituta) per *anarropiam* facta eſt portentoſa evacuatio puris craſſi & coloris ſubviridis quod, veluti per jactus aut fluctus, profundebatur cum tuſſi penè ſuffocante. Hìnc manûs & brachii tumefactio pari paſſû evanuit, ægerque integræ ſanitati brevì reſtitutus eſt.

De præſenti argumento jàmdudùm notaverat *Hippocrates*, *ex morbo laterali ſuperiore ventre purulenti fiunt, cùm vehemens fuerit, nequè diebus judicare ſolitis computruerit, nequè per ſputum rejectus fuerit* (quod quidem cum caſu noſtri ægrotantis apprimè congruit), *ſed adhæreſcente ad latus pituitâ & bile ipſum ulceratum fuerit; cùmque ulcus factum fuerit, ex ſe pus effundit, & de vicinis locis calore pituitam ad ſe adducit, quæ ubi computruit, pus expuitur. Interdùm verò etiàm ex venis ſanguis ſe ad ulcus transfundit, qui putrefactus in pus vertitur* (1). Addit etiam *Hippocrates*, *cùm copioſior extiterit* (materies),

(1) *De morb. lib.* 1. *pag.* 451, 452.

plenitudo quòlibet transfertur, *doloremque gravem adfert*, *ità ut quibuſdam ruptum loco migraſſe videatur. Quod ſi fortè ad humerum tranſierit*, *gravitatem in manu & ſtuporem ac torporem inducit* (2). Tandèm obſervat, divus ille ſenex, pus congeri poſſe *extrà pulmonem*, aut circà viſcus illud, *potiſſimùm quidèm ex rupto*, *& ubi caro contuſa fuerit circà quam pus colligitur ... & hæc quidem inuſtione curantur* (3). Atqui inflammationis effectus apud tinctorem *Taillarda*, perfectam exhibent analogiam cum eis qui rupturam carnium & earum contuſionem inſequuntur, de quibus hìc agit *Hippocrates*, non ſecùs ac effectus vel actio veſicantis quod inter *pyrotica* recenſetur, maximè cùm uſtionibus convenit. Hìc etiam animadverti poteſt quantùm conferat aliquandò ſtrenua veſicantium applicatio ſuprà latus dolens, ſub initio empyematis inſtituta.

XXXIV.

Nùnc ad morbos qui à cœlo vel ab aëre pendent deveniamus. Jàm antiquitùs obſervatum eſt textum mucoſum ex tempeſtatum viciſſitudinibus, varias impreſſiones variaſque modificationes experiri, quæ fibrillarum actionem commovent, ac proindè motum, liquationem, & evacuationem ſuccorum alibilium vel mucoſorum in quibuſdam hujus-ce textûs portionibus commorantium cient; undè morbi plus minùs-ve graves procreantur; *mutationes temporum morbos potiſſimùm pariunt* [4], inquit *Hippocrates*. Hæ verò mutationes influunt (ut cenſebant veteres) in paſſiones imò & motus quorumdam animalium (2). Quod ſanè argumentum foret prò iis quæ modò dicebamus de proximo influxu mutationum tempeſtatum, vel qualitatum aëris in textum mucoſum cujus exiſtendi modus, ex æquò, magnoperè influit in habitum fibrillarum nervearum. Nihilominùs tamen morbi qui ex tempeſtatum viciſſitudine oriuntur, non omninò ſemper periculoſi ſunt, verùm è-contrà.

Mulier ſexagenaria, temperamentô phlegmatico donata, collectam, per hiemem, pituitam, jàm à nonnullis annis, quôlibet verè per os rejicit cum tuſſi moleſta; ſicque, per nonnullos abhìnc menſes, oppreſſione pectoris cum laſſitudinibus conjunctâ liberatur.

Celeberrimus hujus-ce urbis poliater D. *Chaptal*, jàm à plurimis annis paulò antè vergiliarum occaſum, id eſt circà finem menſis octobris, tuſſim aſſiduò patitur cum ejectione multa materiei mucoſæ albæ, inſipidæ, per aliquot dies perdurante quâ vegetior & alacrior evadit.

---

[2] *Ibid. pag.* 455.

[3] *De loc. in homine pag.* 415.

[1] *De humorib. pag* 50.

[2] Hunc aëris influxum ſequenti carmine cecinit *Virgilius*, raritatem & denſitatem textûs mucoſi aliquatenùs deſignans.

„Verùm ubi tempeſtas & cœli mobilis humor
„Mutavere vias; & jupiter humidus auſtris
„Denſat, erant quæ rara modo, & quæ denſa relaxat,
„Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
„Nùnc alios, alios dùm nubila ventus agebat,
„Concipiunt. . . . . [*Georg. lib.* 1. *vers* 417.]

Sacerdos quidam, ineunte vere, diarrhœam mucoſam, per ſeptimanam experitur, hìncque firma & integra valetudo, ad uſquè ver proximè ſubſequens protenditur.

Neminem etiam latet quàm-plures morbos cutaneos à bilioſa vel à pituitoſa labe, versùs æquinoctia vel ſub initio veris, aut deſinente autumnô, recrudeſcere. In his-ce caſibus quorum innumera proſtant exempla, materies evidenter in textu mucoſo inſidet præcipuè in *intermedio*, undè foras propellitur actione organorum quæ propiùs influunt in textum mucoſum eâ materia gravatum; & veriſimiliter organa iſta quandoquè ſic afficiuntur, ut hanc materiam circà ipſamet fluitantem vel ſtagnantem ſiſtant detineant, donèc tempus accedat revolutionis organicæ & periodicæ quâ illa movetur & longè protruditur ad extrà in textum mucoſum *intermediarium*. Utcumquè erit, materies hæc-ce ſub formis aut ſpeciebus diverſis proditur, ratione indolis peculiaris organi cujus actione foràs educitur, vel ratione modificationum quas organum quodlibet imprimere valet humoribus in ipſomet contentis.

XXXV.

Sola mutatio aëris cùm ex una regione in aliam migrati ibi commoramur, textum mucoſum & humores in eo fluitantes vel hærentes afficere valet, eô penè modo quô affici videntur à mutato notabiliter vivendi more (v. inferiùs ad § XLVIII). Hâc novâ aëris indole, textus mucoſus more inſolitô commovetur afficitur, ità ut recentes moleculæ alibiles cum laminis textûs mucoſi intimè conſociari, vel iis nubere planè non poſſint. Idcircò, moleculis iſtis ſuperfluitantibus novus quidam textus mucoſus efformatur *ſpurius*, tener aut fluxilis admodùm, vel ſaltèm priori vix adhæreſcens; ſi quidèm, notante *Hippocrate, vires non ſufficiunt ut anteà, ad adæquandum quod circùm adhæreſcit* (1). Colliquatio vel corruptio quâ textus iſte mucoſus adumbratus neceſſariò corripitur, irritationem & vibratilitatem fibrillis nerveis inducit, morboſque acutos parit non raro periculoſiſſimos. Horum-ce exempla vulgatiora nimis, ut iis diutiùs immoremur.

Sic igitur perſpicuum eſt aërem, ſuô influxu immediatô in textum mucoſum, motus inſolitos in humoribus ciere, pariterque humorum redundantiam producere; quorum omnium probè gnarus etiam fuiſſe videtur *Hippocrates* (2). Jàm verò notatis his-ce effectibus aëris, adjiciantur quæcumque tùm à varia ipſius intemperie, tùm ab *inquinamentis* quibus interdùm inficitur dependere queunt; (3) iterùm deniquè adjiciantur quæ ad varias *idyoſinchraſias* & ad ciborum

---

(1) *Hippocr. de morb. lib.* IV. *pag.* 509.

(2) „ Quin etiàm ſyderum ortus & occaſus noſcendi ſunt, ut mutationes & cibo„ rum ac potionum redundantias, ventorumque & totius mundi, ex quibus ſanè „ morbi hominibus proveniunt, obſervare ſciat, (*de vict. rat. pag.* 341.) ... „ quod „ verò ex cœlo dependet principium, ſi homini minimè commodum fuerit, aliquid „ humoris ſuperat, & tanquàm ad morbum viam faciens calefacit, &c. (*de morb. ilb.* „ IV. *pag.* 508.)

(3) „ Cùm igitur aër inquinamentis hujus-modi quæ hominum naturæ adverſan„ tur plenus fuerit, tùm homines ægrotant (*de flatib. lib. pag.* 297.

naturam ſpectant &c. &c., ex his omnibus ritè penſitatis profectò deducenda eſſe videbimus diverſa principia ſeù cauſas varias plerorumque morborum epidemicorum qui ferè omnes, juxtà *Hippocratem*, ab aëre oriuntur, *vel partìm ex his quæ in corpore inſunt, pituita & bile, partim verò ex his quæ extrà obveniunt .... quin & à calido ſuprà modum calefaciente, & frigido ſuprà modum refrigerante, & ſicco plus æquò reſiccante, & humido plus æquò etiàm humectante* (1), quorumque omnium ſubjectum, ſedes, theatrum in textu mucoſo, præcipuè *intermedio*, & in humoribus inibi contentis reponenda ſunt. Videbimus quô pacto, dùm textus mucoſus diverſos habitus aut exiſtendi modos viciſsìm induit, ac dùm humores varias alterationes ſucceſſivè experiuntur, idque juxtà prædictas aëris mutationes atquè hujus fluidi vitia diverſa, quôpacto, inquàm, exindè oriantur morbi epidemici quorum caracteres ſpecifici ac determinati generatìm obſervantur.

XXXVI

Ex dictis facilè adducimur ad curioſiùs indagandum quomodò ſuâ naturâ ſuiſque viciſſitudinibus, aër agit in textum mucoſum & humores qui inibi degunt plus minùs-ve fluitantes. Ut in hac inquiſitione rectè agatur, in limine ſatis erit effectus percunctari à duabus tantùm præſtantioribus intemperiebus aëris pendentes, quales ſunt, v. g., calidum & ſiccum, frigidum & humidum, ad quæ, velùt ad totidem præcipua capita, revocari poterunt aliæ quæcumque aëris conſtitutiones noxiæ, earumque influxus in textum mucoſum; & primò de intemperie aëris ſicca & calida. Hæc conſtitutio æſtati maximè propria eſt, in regionibus Europæ meridionalibus & auſtralibus; hìc ideò ſæpiſſimè obſervantur *febres ardentes ſpuriæ Piqueri*, & febres *ſynochi* (2) bilioſis temperamentis, & juvenibus familiares (3), non raró etiàm *cauſi* ſeù febres ardentes legitimæ, Juvenibus potiſſimùm addictæ. Harum tamen febrium caracter eſſentialis, non ſemel patitur variationes proùt major aut minor humiditas cum temperie ſiccâ & calidâ conjungitur, quod vel rori matutino, veſpertino aut nocturno tribuendum venit, vel etiam impenſæ vaporiſationi aqueæ quæ continuò dilabitur juxtà plagas maritimas vel in locis ſtagnorum, paludum aut fluminum vicinis, ubi datur aëris conſtitutio auſtralis, ut v. g. in iſta regione (4). Legitur apud *Hippocratem*, *in lib. morbor. vulgar*, ſub tali conſtitutione quæ eſt ſtatus tertius inſulæ *Thaſeos*, multas graſſatas eſſe febres ardentes. Et meherclè, facilè percipitur tùm aëre calido nec-non plus minùsve ſicco per tempus æſtivum dùm ſyrius ardet, tùm exercitationibus immodicis vividiſque animi affectibus, tùm etiàm temperamentô ſicco, æſtuoſo, bilioſo aliiſque hujuſmodi quæ in pleriſque juvenibus incuſanda ſunt, his omnibus, inquàm, textum mucoſum neceſſariò affici. Etenim tunc temporis ſudores vel tranſpirationes immodicæ & quaſi extortæ cientur, danturque

---

(1) De Morb. lib. 1. pag. 446.

(2) *Vid. Piquer*, tratado de la calenturas.

(3) „ Febris ardens (videlicèt ſpuria) corripit magis bilioſos, corripit itèm pi-
„ tuitoſos (*Hippocr. lib.* 1. *de morb*). itidèm animadvertit *Piquerus*, febre ardente
„ ſpuriâ ſenes & juvenes indiſcriminatìm conflictari (*vid. in opere jàm citato*)

(4) V. Recherches ſur la ſituation, le climat de Montpellier &c.

irritationes in organis ſecretoriis & excretoriis, præſertìm in regione epigaſtrica, quibus commovetur bilis mòx in textum mucoſum *intermedium*, vi organorum, adacta ubi venulis abſorbetur (1); quod quidèm eò faciliùs contingit, quòd corpus vel potiùs textus mucoſus ipſemet, pravè per iſtas perturbationes enutriatur; ipſius cellulæ vel lamellæ tenſæ aliquatenùs ac rigidæ evadunt, fiuntque ad nutritionem parùm habiles, vel ſaltèm huic imperfectè oppitulantur; quôdam modo enìm reſiccantur æquè ac vaſculorum fines in hunc textum migrantes. Exindè igitur ſivè à textu mucoſo ipſomet, ſivè ab his-ce extremis vaſculorum finibus, ſucci ſeroſi & bilioſi in hoc textu fluctuantes & penè jàm corrupti avidiùs combibuntur aut abſorbentur (2); quìn etiàm calidum & humidum aëris (3) pari paſſû à textu mucoſo & à vaſculis attrahuntur excipiunturque. Atqui ſucci iſti ſordeſcentes aut aëre ſqualido inquinati, proùt à textu mucoſo & à venulis combibuntur, neceſſariò ſanguinem alterant in ſuâ conſtitutione vel *craſi*, ſuoſqùe motus evertunt; undè hujus humoris *diſgregatio*, ut, ex *Hippocrate*, vocat *Martianus* (4). Hæc ſunt quæ nobis *Hippocrates* tradidit de cauſis febrium ardentium in genere, quæque doctrinâ textûs mucoſi non parùm illuſtrantur.

XXXVII.

Quod verò ad intemperiem aëris frigidam & humidam ſpectat, notandum eſt quod cùm anni tempeſtas ſit intempeſtivè frigida & pluvioſa (ut frequenter, ineunte vere & deſinente autumnô, accidit), tùnc aqua ſolùm-modò mechanicè, ut ità dicam, aërem gravans imprægnans, id eſt nequaquàm inibi chemicè ſoluta, ad maximam copiam in ſuperficie cutis deponitur, & exìn ab ipſo corporis calore in vaporem ſolvitur vel quamdam ab eo diſſolutionem experitur. Porrò hæc aquæ evaporatio vel diſſolutio quæ immediatè in corporis ſuperficie abſolvitur, hanc-ce frigefacit, ac proindè cutis irritationem invehit; idque eò faciliùs quòd purior eſt aqua (5), & effectus evaporationis ab externo aëris frigore juvantur. Sic ideò hanc cutis refrigerationem & irritationem

---

(1) „Febris ardens fit ubi bilis toto corpore commota fuerit, & fortè evenerit „ut venæ & ſanguis magnam bilis copiam ex carnibus & ventriculo trahant „ (*Hippocr. de morb. lib. II. pag.* 460)

(2) „Febris ardens fit cùm reſiccatæ venulæ, horâ æſtiva, acres ac bilioſos ſeroſos „humores in ſe ipſas attraxerint. „ (*De vict. rat. in acut.* n°. 34.) vid. etiam *Piquer* in opere jàm citato.

(3) „Æſtate enim hominem circumſtans aër calidus eſt, calidioremque ad ſe „corpus attrahit„ *de morb. lib.* IV. *pag.* 504.

(4) „Ubi igitur bilis commota venas & ſanguinem ſubierit, ex ſolita compage „& motione ſanguinem dimovet & ſerô diluit, & percalefacit „ (*Hippocr. de morb. pag.* 460. *lib.* I.)

(5) Non-nullæ ſubſtantiæ, ut putà ſalia neutra qualia reperiuntur in aqua maris, memoratam aquæ vaporabilitatem & ſolubilitatem valdè minuunt (*vid. George Fordyce elements of the practice of phyſic* &c. Nautæ & alii quicumque ſocii navales raró, per aquæ marinæ madorem, rheumate laborant. In ultimo bello, duces angli militibus ſuis quotidiè debitam aquæ marinæ quantitatem diſtribui volebant, quâ veſtes & pallia modeſtè perfunderentur.

tationem proximè inſequuntur repreſſio perſpirationis inſenſibilis, coâcervatio mora que longior ſuccorum in textu mucoſo *intermedio*, nec-non horum-ce alteratio quædam cruditati non malè æquiparanda. Non aliter ſe habet conſtitutio aëris quæ, conſtanti ac diligenti obſervatione, vigere nobis viſa eſt præcipuè dùm *Eurus* ſpirat, & quam cum Illuſtr. *Sarcone* appellare juvat *conſtitutionem catarrhalem*, quæ, à nonnullis annis, generalis fermè obſervatur in Provinciis Europæ auſtralibus. Jàm alibi notatum eſt (1), hanc aëris conſtitutionem in ſuccorum mucoſorum motus, proceſſus, & elaborationem permultùm influere videri, ac proindè fieri morborum catarrhalium feracem aliorumque popularitèr graſſantium, qui periculoſi plus vel minus, proùt frigidum & humidum à calido vel alia quâcumque aëris intemperie plus minùsvè derepentè excipitur. Sic in ſtatu ſecundo inſulæ *Thaſi*, qui frigidus, humidus & borealis erat, id eſt *catarrhalis*, ſuccorum mucoſorum ſeù pituitoſorum facta eſt redundantia & mora in capite, undè accedente calore æſtatis & autumni, præfati ſucci ſeſe moventes irruerunt, mirô ac ſucceſſivô progreſſu trans mæandros textûs mucoſi, tùm in oculos & lippitudines induxerunt, tùm in ſtomachum undè vomitus pituitoſi & bilioſi, tùm etiam in inteſtina undè diarrhϾ cùm torminibus, atque urinarum difficultate; etenim materies alvinæ erant inſuper mordaces [2], *& cùm veſica à recto inteſtino incaleſcens, calore pituita adducitur, à pituita urinæ ſtillicidium gignitur* [3]. De cæterò *ſi rectum inteſtinum obſideat inflammatio, dolor prehendit ac febris, & ad alvum exonerandam crebrò deſidet; interdùm etiàm urinæ ſtillicidium opprimit. Qui morbus oritur cùm pituita ex corpore in rectum inteſtinum incubuerit* [4]. Tandèm *ſudores aderant atque omnibus undequaquè diffluebat humiditas multa* [5], & febres intermittentes nòn-nullos deprehenderunt &c.; namquè textus mucòſus *intermediarius*, diù ſuccis aqueis, pituitoſis & excrementitiis maduerat, qui nunc, influxu aëris calidi, movebantur & exitum quæritabant. Jàm verò his addantur quæ ſuperiùs expoſuimus (in §. XXVII & in *not.* 8.) circà aſcenſum pituitæ à ventriculo ad caput trans meatus Corporis cribroſi, hujuſque humoris defluxum per eaſdem vias in ventres inferiores, tùnc ſanè magis magiſque fatebimur, *Hippocratem* nihil rectiùs intelligi vel explicari poſſe, niſi facem præeunte doctrinâ textûs mucoſi, quæ inſuper novam lucem colligendorum fructuum in pleriſque hujus-ce operum locis penè intactis aperit, indicat, ut iis quæ dicenda nobis reſtant apertiùs adhùc declarabitur.

XXXVI.

Pervolvantur hiſtoriæ recentes morborum epidemicorum; inibi paritèr cernere eſt ſuccorum in textu mucoſo coâcervationem, nec-non eorum motus, proceſſus per diverſa organa, impellentibus diverſo aëris influxu aliiſque

---

(1) Traitement de la petite Vérole des enfans &c., & Recherches ſur la ſituation, le climat de Montpellier &c.

[2] *Hippocrates de morb. vulg. lib. I. ſect II. ſtatus ſecundus.*

[3] *Hippocr. de fiſtul. cap* 5. 6. *chart. tom.* 12..... *pag.* 143-144.

[4] Ibidem.

[5] Ibidem.

circumſtantiis ; qui quidèm motus & proceſſus humorum, tanquàm plurium morborum ſucceſſionem in uno tantùm comprehenſam, non raró commonſtrant. Attentè perlegamus, v. g., hiſtoriam morbi epidemici tàm accuratè à Celeb. *Roëderero* & *Waglero* deſcripti, ſub titulo de *morbo mucoſo*, videbimus ſuccos mucoſos ſuperfluitantes ubiquè trans corpus cribroſum irrepſiſſe, eoſque nunc circà regionem epigaſtricam in ſpatio *alter-utrius ventris intermedio*, nunc circà tractum inteſtinorum collectos, vel ad iſta organa, mediante illorum irritatione, quaſi revocatos ; quin etiàm videbimus illos exindè, modò ad pectus & plevræ ſacculum ſupernè uſquè ad caput provectos fuiſſe, juxtà motuum directiones textui mucoſo impreſſos, ità ut naturæ conamine quôdam criticô paululùm ſubacti, nimirum in textu mucoſo oris interni, ibi vel aphtas produxerint, vel gingivarum textum (1) in tumorem ſalutarem elevaverint ; modò verò ad infimas partes delatos, diarrhœis mucoſis criticis (2), fluxui mucoſarum urinarum, vomitionibus mucoſis, œdematibus pedum &c. anſam præbuiſſe. Hic etiam mucus in textu mucoſo hoſpitans, aliquotiès morâ vitiatus eſt partìm ex his quæ in corpore inerant, partìm ex his quæ extrà obveniebant, undè humorum & textûs mucoſi *Eclyſis* quæ manifeſtabatur diarrhœis & ſudoribus colliquativis, infarctibus putridis pulmonum, & aliis quæ febrem *ſynthecticam* malignam arguunt. Poſtrema hæc-ce, ut notetur per tranſennam, cum phænomenis morborum libri tertii epidem. *Hippocratis*, apprimè quadrant, & quidem eò rectiùs quod aëris conſtitutio quam Clar. *Roëdererus* & *Waglerus* tanquàm cauſam præcipuam hujus-ce epidemiæ incuſant, non multùm differat à *ſtatu peſtilente* qualis ab *Hippocrate* aſſignatur in loco citato de *morbis vulgaribus*. Deniquè animadvertendum eſt, quod morbus iſte mucoſus, licet ex ſua natura idiopathicus abdominalis eſſet, tamen in pulmones migraret & pectoralis fieret. Jam verò in ſectione cadaverum (3), viſcera mucô infarcta ac perfuſa notata ſunt, imò & ventriculus & inteſtina ſuas tunicas eâ materie multùm craſſefactas referebant. Quandoquè etiàm pulmonum & plevræ internæ ſuperficies viſa eſt obducta effluentiâ ſeù pulte mucoſâ quæ intimam adhæſionem plevræ cum pulmonibus efformaverat. In nonnullis aliis, *media inter plevram & pulmonem dextrum* obſervata fuit *membrana inorganica*, *cruſtæ pleuriticæ ſimilis*, *quæ*, *variâ craſſitie*, *ferè totum pulmonem cùm diaphragmate obveſtiebat*, *& cùm quadam facilitate deglubi poterat*. Caput itidèm tumefactum aut craſſefactum erat *ab effuſa in celluloſam gelatina*. glandulæ omnes jugulares, bronchiales, meſentericæ, inguinales ſæpè etiàm mucoſâ materie confertæ admodùm repertæ ſunt. Tandèm ſuper cadavere ſectionis vj. muſculi pallidiores, licet validi, modicâ gelatinæ copiâ circumfuſi in conſpectum veniebant.

XXXVII.

Per-attentè etiam legatur hiſtoria epidemiæ, paucis abhinc annis, in Neapoli ſævientis, adeò graphicè depicta ab illuſtr. *Sarcone* ; ibi paritèr videbitis ſuccos

(1) *De morbo mucoſo pag.* 54-55.
(2) Ibidem.
(3) *Febre mucoſâ defunctor. ſect. III. pag.* 167.

pituitoſos ſeroſos aut aquoſos in textu mucoſo ambitûs corporis congeſtos, necnon deleterio aëris epidemicô inquinatos, exìn in viſcera irrupiſſe ad uſquè textum mucoſum *organicum* adactos, & primâ fronte diarrhœas excitaſſe &c. Deindè, accedente febre rheumaticâ quæ coctionem aliquantam movit, proditæ ſunt pleuritis & peripneumonia, morbô qui priùs abdominalis erat in pectoralem converſô. Apud ægros tali morbô peremtos, totum aliquotiès corpus humore glutinoſô imbutum ac madeſcens repertum eſt; quandoquè etiam inteſtina partìm referta atquè obducta in ſuperficie videbantur, cruſtâ quâdam glutinosâ, tenaci & lucidâ; in majori verò defunctorum numero, cavum pectoris intùs gelatinoſâ ſubſtantiâ pulmonum ſuperficiem coôperiente oppletum obſervabatur. Pariter etiàm interior capitis pars eâdem glutinosâ ſeù viſcoſâ materie congeſta conferciebatur, quæ in nonnullis textum mucoſum piæ-meningis adeò lautè perſundebat, ut exìn præfata membrana non mediocritèr craſſefacta videretur (1). Notabile forsàn videbitur ſuccos aëris inquinamentis in ipſomet textu mucoſo *intermedio* valdè contaminatos, primô impetu in ventriculum & inteſtina ut plurimùm ſic irruere; id tamen perhibent bilioſi vomitus, fluxus alvini, dyſenteriæ caſtrenſes, aliaque accidentia quibus morbi exercituum vulgò ſtipantur. Prava ſuccorum illorum indoles, cutis irritatio quâ perſpiratio inſenſibilis ſufflaminatur vel ad intùs repellitur, ſtomachi aliorumque viſcerum irritatio quæ peritonæi motus ſolitos aut ſuccuſſiones adauget, deniquè laminarum textûs mucoſi flacciditas ac utiquè textûs hujus-ce relaxatio, ea omnia profectò ſuccorum prædictorum in primas vias irruptioni, eorumque circà viſcera abdominalia congeſtioni quàm-plurimùm favent. Vidimus in experimentis, canem experim. VII. gravi diarrhœâ correptum periiſſe.

X L.

Veriſimiliter adhùc diaphragma, ex ſuſcepta invicèm, per conſenſum aut vicinium cùm organis primarum viarum, irritatione quam inſupèr febris adauget, ſpaſmodicè afficitur; hìnc veluti lineam aut Zonam quamdam ſpaſmodicam effingens, gradum quemdam tenſionis laminis textûs mucoſi plevræ vel thoracis inducit; ſicque fovetur aſcenſus materiei in textum mucoſum provinciæ plevræ, & datur converſio morbi jàm ante abdominalîs in pectoralem. Porrò iſtam, ut ita dicam, converſionem ſeù tranſlationem morbi, probè calluiſſe videtur *Hippocrates* (2). Sic etiàm juxtà *Ballonium*, *major eſt pars pleuritidum & dolorum lateris tùm à congeſtione cujuſdam excrementi, tùm ob recurſum tenuioris humoris per orgaſmum à ventre inferiore, quàm è capite & partibus ſuperioribus* (3). Prætereà pulmones ſuis motibus validè è toto corpore trahunt, undè *humores à toto & qualibet parte fluere poſſunt in thoracem &c.* (4). Dixit

(1) *Vid. Iſtoria Ragionata de' mali oſſervati in Napoli, nell' intero corſo dell' anno* 1764

(2) „Ubi per gulam in ventrem fluxio decubuerit, infrà accumulatio, interdùm „que [illegible] fi. (*De loc. in hom. pag.* 416.

(3) *Epidem. Conſtitut. vern. ann.* 1575.

(4) *Martian. Commentar. in Hippocr.*

etiàm *Hippocrates*, *pulmo à calore ad ſe pituitam ex toto corpore*, *præcipuè quæ ex capite trahit* (1). En habetis veluti totidèm cauſas generales plerarumque fluxionum catarrhalium, (vulgò *fluxiones pectoris*). De iis multùm & egregiè, ſuô more, diſſeruit illuſtr. *Bordevius*, in ſuis ſæpiùs citatis de textu mucoſo diſquiſitionibus gallicè conſcriptis. Decubitus pituitæ è capite in pulmones, frequentèr apùd pueros obſervatur; nonnullos ſpecie quâdam catarrhi ex hoc defluxu è capite pendentis, quaſi derepentè ſuffocatos nuperrimè vidimus (2). morbus *Croup* ſic Anglis vocatus, puerisque in ſcotia proprius, non aliam cauſam agnoſcit. Morbus iſte quem *ſtridula ſuffocatio* peculiari nomine appellari voluit Clar. *Home*, proximè nititur membrana quâdam mucosâ tenaciſſimâ craſſiſſimâ & albicante, quæ cavum trachææ arteriæ occupat ab uno circitèr pollice infrà glottidem. Membrana iſta in dies craſſeſcit, adeò ut tandèm veluti quoddam glomeramen ſeù obturamentum mucidum denſiſſimum effingat, quô penitùs interceptâ fiſtula pulmonum, ſuffocatur æger. Mucoſum illud obturamentum in cadaveribus facilè deglubi poteſt, cùm ſit tantùm contiguum aut vix adhæreſcens parietibus trachææ (3).

XLI.

Harum-ce mucoſæ materiei in pectus defluxionum inveſtigationi pauliſpèr adhùc immorari juvat, (ſi fortè quicquam addi valeat iis quæ jàm de hoc eodem argumento, quantùm ad textum mucoſum, tradidit *Bordevius*) juxtà que methodum propoſitam procedentes obſervatis clinicis conſtanter inſiſtamus.

D. *Ittier* quinquagenarius in via dicta *via magna* decumbens, ruri pleuritide mucoſâ ſeù catarrhali corripitur, quam ſinè ullo remedio adhibito quatriduùm perpeſſus eſt. Dolor juxtà diaphragmatis adhæſiones in latere dextro defigebatur; ſputa erant copioſa, mucoſa & cruenta, aderatque ſuffocatio imminens. Poſt ſanguinis miſſionem bis celebratam, & cathartico-emeticum ſemèl propinatum, promptè reſtitui videbatur æger, ità ùt die duodecimâ ab invaſione morbi, febre ferè omninò immunis eſſet. Nihilominùs tamen levis quidam ſenſus doloris in latere percipiebatur; ſputa erant cruda licet incruenta; vultus opimus ut in ſtatu ſano; hippochondria tenſa & tumefacta. In his circumſtantiis, dolore ſat vividô & rubore afficitur pollex pedis dextri; tumet pars, ſensìmque tumor qui œdematodæus erat, ad uſquè pedem integrum & tibiam protenditur, quos omnes affectus pes alter alteraque tibia participant. Aſt adorientibus novis his-ce phænomenis, dolor lateris penitùs evanuit, ac omninò libera evaſit reſpiratio; cautèque exhibitis aperientibus, diſcutientibus, nec-non catharſi per *epicraſim* adhibitâ, perfectè ſanatus eſt

---

(1) *De morb. lib. I. pag.* 450.

(2) De hoc vid. etiàm *Hippocr. de morb. ſacro.*

(3) An enquiry into the nature, cauſe and cure of the *Croup*, By Francis *Home* &c..... the cauſe of the diſeaſe is a preternatural white tough thick membranous cruſt, which covers, for many inches, the inſide of the wind pipe, beginning generally about an inch below the *glottis*..... it is conſiſtence ſo tenacious, that it will remain in warm water many days without diſſolving &c.

æger. Hic manifeſtè incuſanda erat conſtrictio inflammatoria plevræ textûsque mucoſi, circà locum memoratum id eſt circà ſepti tranſverſi adhæſiones, qui locus ſpatio marſupiorum plevræ & peritonæi intermedio valdè contiguus, ità ut quaſi cùm eo confundatur. Judicatio morbi pectoralis imperfecta fuit, quod arguebant, præcæteris, facies opima, elevatio tenſioque hypochondriorum, doloris quamvìs leviſſimi reliquiæ in latere dextro &c. *Si facies rectè valet & hippochondria non ſint mollia*, diuturnum morbum fieri, jàm pronunciaverat artis noſtræ parens (1); quod propriâ experientiâ, vel potiùs diuturnis obſervationibus confirmare valent omnes clinici (2). Interìm, coctionem aliquantam experta erat materies, undè liquidior, vel paululùm liquefacta, ac mobilior evaſit, vel in aquam converſa eſt, ut cenſet *Hippocrates;* quamobrèm, adoriente dolore in pollice pedis dextri, ſpaſmus conſtrictorius latus dextrum & partem contiguam diaphragmatis etiamnùm occupans, omninò prorsùs diſcutiebatur, & materies veluti ſibi relicta ad pedem, qui tanquàm terminus productionum (*un aboutiſſant*) peritonæi haberi vult *Bordevius*, converſâ ad partes infernas meatuum directione, vi ſcilicèt attractoriâ doloris, appellebat, cum integro thoracis allevamento; quodquidèm niſi trans mæandros textûs mucoſi fieri poterat. Notandum inſupèr ex *Hippocrate* ipſomet, abceſſus ad partes ſuperiores ferè ſemper cùm febre adjuncta fieri, remiſſâ verò aut penitùs evanitâ in inferioribus enaſci; cujus ſententiæ veritas apud ægrum noſtrum apertè declarabatur.

XLII.

Contagio propriè dicta ſeù illa deleteria corpuſcula quibus aër non raró inquinatur, quomodò quô pacto in corpora introducerentur, niſi textûs mucoſi *intermedii* viâ. Illud evidentiſſimè patet ex eo quod deleterium veluti ſtationale vel quaſi ſopitum in prædicto textu, per ſeptimanas imò & menſes integros aliquandò commoretur; quod quidèm non fieret ſi venas aut arterias immediatè ſubiret, vel ſi primâ fronte partem aliquam valdè ſenſibilem, ut putà cerebrum aliaque viſcera, adoriretur tanquàm ibi depoſitum iret. Id ampliùs comprobatur inſitione variolarum potiſſimùm ex methodo *Suttonianâ*, nec-non phænomenis quotidiè obſervandis in lue venerea quam haud immeritò, cum noſtro celeberrimo *Gardane*, inter morbos ad textum mucoſum proximè pertinentes reponas. Venena ſic hærentia in textu mucoſo *intermediario*, ſenſìm ad uſquè textum mucoſum *organicum* vel ad fibrillas nerveas progrediuntur, vel unà cum humoribus à venulis in textu mucoſo hiantibus, in ſanguinis oceanum devehuntur; quod promptiùs adhùc, commotis à violento quodam animi pathemate fibrillis, ac utiquè concuſſô textu mucoſô evenire poteſt. Sic

---

(1) *Lib* II. *epidem. ſect.* VI. *n°.* 10. & *lib.* II. *aphor. ſentent.* 28.

(2) Yo he confirmado con mi propia obſervacion lo que dice *Hippocrates* en las *epidemias*; es a ſaber que ſi hay calentura, y la cara del enfermo eſtá *ni* mas ni menos que quando ſtaba ſano, ſignifica larga enfermedad que no ſe quita ſin ſalir ſangre por las narices, ó dolor en alguna parte. *Piquer tratado de las calenturas*, pag. 145.

dantur morbi contagioſi privatô caractere, nec-non effectibus identicis pleramquè inſignes. D. *Jacobus Lind* qui duas admodùm egregias diſſertationes conſcripſit circà contagionem præcipuè ſpectatam in morbis contagioſis qui apud claſſiarios ſeù navales exercitus graſſantur, quàm-plurimos ſe vidiſſe refert contagioſâ labe tùm à corporum ægrotantium ſqualidis manationibus, tum à ſolis excrementorum effluviis contaminatos, qui tamèn nil niſi ægrotantis cubiculum obitèr tranſgreſſi fuerant, vel tantùm adſtiterant depoſitioni defunctorum in feretro, vel ægris allevandis in lecto, prò re nata, adjutorium præbuerant, vel iiſdem latrinis conſeſſerant &c.; atque de hiſ-ce animadvertit, illos plerumquè brevi poſt ſuſceptum contagium conqueſtos e ſe, levemque ſæpiſſimè dari contagionem quæ modò jàm expoſitô corpora adoritur, vel ſaltèm morbos ab-indè pendentes, dùm ritè tractentur, lethales nihil admodùm eſſe. (1) verùm etiàm quam-plures vidit claſſiarios inter eos qui naves contagiô inquinatas nuperimè conſcenderant, paucis ab excenſione diebus eâdem omninò febre peculiari quæ in navibus ſæviebat, corripi; quod quidem iis contigit vel quià dumtaxàt cibis ſeſe ingurgitaverant aut pergræcati erant, vel rixas violentas cum ſociis contraxerant. Prætereà ex ducentis ægris qui, menſe Decembris anni 1759, in ſuo noſocomio decumbebant, quique nupèr è navibus morbô contaminatis excenſum fecerant, viginti & ultrà annotat qui eâdem febrîs ſpecie quæ in navibus quas conſcenderant graſſata erat, laborarunt; licèt cùm noſocomium ingreſſi ſunt, tunc temporis de morbis iſtius admodùm diſſimilibus conquererentur. Quidam nauta præ cæteris, qui in nave *Neptunus* dicta munus ſuum navale nupèr obierat, ob vulnus quod gerebat in tibia primùm in atrio ſauciorum mundiſſimo repoſitus, inibi per dies decem degit ne ullam quidem aliam quærimoniam habens, niſi de iis quæ ad vulnus ſpectabant. Cùm autem operam ut ſibi vinum furtìm adſportaretur dediſſet iſte, eoque multô inebriatus cum ſociis effrenatè rixatus eſſet, poſterâ die febre acutâ decubuit quæ, primâ fronte, inflammatoria illiuſque intemperantiæ fructus viſa eſt, aſt quæ, tertiâ die, una eadem ac febris maligna navem è qua recens appulſus erat infeſtans, patuit.

---

(1) Two papers on fevers and infection &c. By *James Lind* M. D. Phycian to the King's Hoſpital at haſlar near Portſmouth &c. Animadveitit autor, Eos qui per intus-ſuſceptionem contagii, febribus contagioſis laborarunt, pleroſque omnes ipſi confeſſos eſſe, primô contagionis appulſu, veluti perculſos fuiſſe odore quôdam ingratiſſimo, odoris qui ex humo recens foſſo ex halatur non abſimili, quemque ad uſquè ventriculi cavum deſcendere perſentiebant; licet tamèn odor iſte minùs teter ac minùs nauſeam movens viſus pſis fuerit fetore quem cadavera putrida ſpirant. Priores autèm hujus-ce inſultûs contagii effectus, levi ac per-brevi quôdam rigore & incommodo manifeſtantur. Non nulli tamèn ex iis qui ſic contagiô tentati ſunt, præfatum odorem cum odore ſtraminis putrefacti comparant. Quandoquè etiàm odor iſte propiùs accedit ad illum, quem latè diffundunt corpora variolis confluentibus correpta, quotiès ægri per cubile moventur, aut ibi ex alia in aliam partem verſantur. Ut ut ſit, prò cunctis hujus-modi morbis curatio in genere una eademque ſit, nimirùm in limine propinentur emetica, deindè preſſô pede ad veſicantia deveniatur (*vid. ibid.*)

XLIII.

Criſes, illæ ſcilicèt repentinæ morborum ſolutiones textum mucoſum paritèr affectant, ſivè generatìm in exerendis conatibus criticis qui quôdam modo illius textûs lamellas erigunt, ejuſque elaterium ac permeabilitatem adaugent reſtituunt, ſivè etiàm privatìm in edenda illa moliminis critici parte cui nomen *coctio morbi* inditum eſt; quæ quidèm peculiaris coctio, comitem aſſiduam habet *coctionem humorum* ut appellant, quam fortè adhùc promovet, nec-non ad ſolida id eſt ad textùm mucoſum omninò prorsùs ſpectat. Per illam autem morbi coctionem, univerſa quædam ac leviſſima fieri videtur in textu mucoſo maturatio, aut veluti teneræ cujuſdam reſolutionis initium, textûs hujus-ce extimam ſuperficiem vix tantùm, ut ità dicam, molliens, liquans, cujus ope leniuntur ac debitè relaxantur fibrillæ nerveæ quæ proindè faciliores ac liberaliores motus exerunt. Tali igitur induſtriâ textus mucoſus non modò humorum mitigationi vel contemperationi magnoperè in criſibus oppitulatur, verùm etiàm portio quædam hujus-ce textûs ipſiuſmet aliquandò, per molimen criticum, in coctione mòrbi liquatur, morbificiſque commiſcetur cum humoribus qui tunc eâdem opera moventur in textu mucoſo, quorumque exindè maxima pars à venis combibitur; *humor enim dùm commovetur in omnes venas fertur, eaſque implet* (1). Sic ideò demulſi vel magis contemperati humores morbifici, hìnc minùs lædunt ſenſum aut ſenſibilitatem organorum quæ pervadunt, quæque eorum excretionem abſolvunt. En adhùc, in iſta liquatione certæ cujuſdam portionis textûs mucoſi, quam ampliùs ſola commotio febrilis inducere valet, atque in hujus liquaminis abſorptione à venulis, habetis cauſam, originem limphæ tenacis aut cruſtæ mucidæ (vulgò *cruſta pleuritica*) quæ in ſanguine recens è vena miſſo luxurians, ſæpiſſimè obſervare datur, cujuſque conſpectus, plurimis in morbis, meritò quidem à clinicis adeò peroptatur. Sic in morbo mucoſo cujus hiſtoriam, ut jàm vidimus, publici juris fecere celeb. *Roëdererus & Waglerus*, *aliquandò criſis in ſanguinis gelatinam facta eſt* (2).

XLIV.

Metaſtaſes ſeù tranſlationes illæ plùs vel minùs ſubitaneæ materiei, jàm coctionem aut revolutionem criticam expertæ, ex una parte in aliam ſeù in aliquam textûs mucoſi *intermedii* partem irruentis, itidèm adhùc ad textum mucoſum evidenter pertinent. Conſtat enim abſquè ipſius ope, vel demtis meatibus aut innumeris viis quas humoribus præbet illius permeabilitas, nullum prorsùs his-ce tranſlationibus locum dari; per eos enim ſolos aditus *natura ſibi vias invenit.* Quo pacto igitur veritas illa ſenſibus ipſiſmet obvia, quæque praxi quotidianâ frequenter adeò nobis perhibetur, in gratiam doctrinæ textûs mucoſi non omnes adhucdùm animos convertit? Janitoris noſocomii regii militaris uxor, paucis antè partum diebus de nonnullis incommodis leviter conquerebatur; nihilò tamèn minùs marem felicitèr enixa eſt. Tertiâ verùm ex partu

(1) *Hippocr. de morb. lib. IV pag.* 506.
(2) *De morbo mucoſo.*

die, *igne*, id eſt febre violentâ quam lacteam dicebant, quæque ſub veſpere cum levi pedum refrigeratione exacerbabatur correpta eſt. Ritè fluebant Iochia, ſed cùm torminibus interdum ſævientibus intermixta. Quintô die febris adaugebatur, erant que exaſperata alia quæcumque ſymptomata. Sedimentô craſſo & albicante lingua obducta vel conſpurcata videbatur; Reſpiratio erat ſublimis ac paululùm impedita, mammæque penitùs collapſæ lacte prorsùs vacuæ obſervabantur; quamvis tamèn, præcedentibus in partubus, mulier iſta firmô corporis habitu prædita, lacte exuberanti ferè ſemper diflueret. In his circumſtantiis, venæ-ſectione è brachio celebratâ, emeticum propinatum fuit, ac deincèps opportunè exhibita ſunt cathartica, aperientia, diſcutientia, levia diapnoïca & diuretica; tandèm laxitas alvi clyſmatibus aſſiduò fovebatur &c. His-ce remediis junctô, ad calcem curationis, corticis peruviani decocto ſaturatiſſimo per ſeptimanam prudenter adhibitô, remiſſa prorſûs viſa ſunt ſymptomata, ità ut vigeſimâ die ægrotans è lecto ſurrexerit, ac victus piſcium aut carnium parcâ manu concederetur. Interìm noctes erant placidæ, negotiiſque ſuis domeſticis, quantùm viribus poterat, mulier iſta fungebatur. Continuò etiam fluebant lochia, verum parcè fluebant; lentè inſupèr reficiebantur vires, pulſuſque paululùm febrilis aderat nec-non contractus & concentratus, ad *abdominalem* vergens; interdùm etiam ægra de anxietatibus ac de doloribus colicis, etſi levioribus, querimoniam habebat, cùm de improvisò, trigeſimâ primâ die quæ decima reſtaurationis numerabatur, eccè diriſſimis admodùm doloribus in fœmore ſiniſtro per noctem corripitur, quos præcordiales anxietates, vomitus, animi deliquia, marmoreumque frigus in corporis habitu cùm glutinoſo ſudore concomitabantur. Manè ægram inviſentibus, tùnc adeſſe nobis viſa eſt malorum quædam allevatio quæ in dies accrevit. Aſt fœmur inſpicere properantes, illud cum toto crure ac pede monſtrosè tumefactum vidimus, ità ut penè reliquum corpus mole aut craſſitie tumor adæquaret. Partes iſtæ dolore ac tenſione adhùc tentabantur; vaſa in ſuperficie reptantia varicoſa erant, & paſsìm conſpiciebantur maculæ latæ & lividæ quæ gangrenam minitabantur. In conſilium vocatis duobus aliis medicis, convenit nobis cum illis de catharticis levioribus, paregoricis, diſcutientibus, ſaponaceis, diureticis, nec-non fotubus aliiſque topicis idoneis; quibus omnibus cautè adhibitis omninò convaluit ægra, ne relictô quidem tumoris veſtigio. Morbus iſte, ut patet, invitâ notabili ſymptomatum remiſſione, nondùm judicatione abſolutus erat, cùm ſcilicèt febricula aliaque incommoda perſtarent, quæ futurum abſceſſum portendebant (1). Reſidebat, ad plurimam partem, materies in textu mucoſo *intermedio* qui peritonæo adhæreſcit, nempè circùm ovaria vel uteri ligamenta, præcipuèque in lumbis è ſiniſtro latere, id eſt, in *laterum inanitate*; undè non

(1) V. *Prænotion. lib. pag.* 45. „Quibus febris aſſidua diutiùs cum ſecuritate trahitur, ſi nequè ex dolore, neque ex inflammatione, neque ex alia ulla manifeſta „cauſa contingat, in iis abſceſſum cum dolore & tumore, præcipuèque ad inferiores partes ſperare opportet (*prænot. coac. aphor.* 71 *pag.* 138.)

non raro pedes dolore vel tumore afficiuntur, ex *Hippocrate* (1). Materies illa, doloris ſtimulô, per mæandros textûs mucoſi ad extremitatem inferiorem extremô pede-tenùs appulit, juxtà peritonæi productiones longè ab ipſius foco diſcedens, eaque metaſtaſis critica ægrè ſaluti omninò fuit; *bona ſunt ſi à ſuperioribus partibus ad infernas demittantur, præſertìm verò optima ſunt quæ ad inferna & infrà ventrem maximè & quàm remotiſſimè à morbo abſcedunt* (2). Rursùs etiàm ex obſervatione Celeberr. *Piqueri*, cùm morbi materies circùm ilia aſſidet, tùnc futuros abſceſſus ad partes infernas ſperandum eſt, idque potiſſimùm dùm illis in partibus quicquam incommodi perſentitur (3). Catharticorum & diureticorum præ cæteris actione, materies refluere ſursùm coacta, per alvum & vias urinarum foràs ejecta eſt; quodquidèm non mirum videbitur, modò in mentem revocentur quæcumque fusè hactenùs egimus tùm de magno influxu peritonæi in textum mucoſum in genere, potiſſimùm in hujus portionem quæ partibus infernis proſpicit, tùm etiàm de ejuſdem textûs ipſiuſque laminarum elaterio, quô cellulæ agunt ſuprà ſe invicèm. Facta eſt inſuper iſta metaſtaſis juxtà *rectitudinem loci*; & quidèm notatione dignum, rem ità fieri debere in quocumque dato abſceſſu critico ſalutari, id eſt *Diadoche*, quaſi natura, dùm rectè operatur ac liberè progreditur, diviſionem totius corporis in binas partes æquales, veluti lege ſibimet impoſitâ conſtantiſſimè ſervaret, huic religiosè auſcultans.

Quidam nomine *Pernot* ſervus apud D. *Plagniol* qui propè januam dictam de *Lattes* habitat, febre *ardente ſpuriâ Piqueri* laborabat. Duodecimâ die, valdè remiſſa erant ſymptomata, multùmque imminuta febris; verùm improvisè adeſt notabilis difficultas reſpirandi cum tuſſi ſicca, febre recrudeſcente, facie tumida, & præcordiorum contentione. Die decima ſextâ, remiſſâ iterùm febre, de teſte ſiniſtro conqueritur; adaugetur dolor quem excipiunt tumor & abceſſus; exìn perfectè judicatus eſt æger. Hanc obſervationem jàm annotatam legere eſt in *Tentamine de Pulſu* (4). Degebat veriſimiliter iſtius morbi materies, in textu mucoſo ſpatii intermedii geminos peritonæi & plevræ ſacculos ſeparantis, potiſſimùmque circà jecur & lienem degebat; hìnc diaphragma irritatum, hoc eſt ſpaſmodicè affectum, naturalem hujus-ce materiei proceſſum versùs colatoria abdominis arcebat, dùm illam, motû contrariô, partìm urgebat in mucoſum textum plevræ, ubi quamdam coctionem vel maturationis gradum adepta eſt, ad quam maturationem peculiaris influxus organicus pulmonum non parùm contulit. Aſt dolor ſiniſtrum teſtem adoriens, quamdam in textu mucoſo prædictarum partium laxitatem induxit, demtâ ſimùl diaphragmatis irritatione,

---

(2) „Quibus igitur ex laterum inanitate & lumbis initia ducuntur, iis pedes in„tumeſcunt. (*Prænot* lib. pag 39) Ex purgamentis mulieribus ad pedes & lumbos per„tingentes tenſiones, ſuppurationes indicant „(*Coac. Prænot ſect. II. pag.* 205.)

(2) *De morb. vulgar. lib. II. ſect.* VII. *pag.* 1002.

(3) Tambien importa ſaber en què partes han de Salir los abceſſos, y ſe conocerá que ſaldràn en las partes inferiores, ſi el fomento de la enfermedad reſide cerca de los hijares; y ſi eſtas eſtuvieſſen ſanas, y los ſimptomas de la cabeza prevalecen, entonces ſe ha de eſperar el abceſſo en las partes ſuperiores (*Tratado de las calenturas*. pag. 146)

(4) *Eſſai ſur le pouls*. Obſerv. XXI. pag. 197.

& ad præfatum ſcroti latus materiem adduxit. Sic ex *Hippocrate*, quandoquè febres ardentes *teſtium tumore* judicantur (1); quam ſententiam variis in locis vir ille ſummus confirmat. Animadvertit inſupèr abſceſſus fieri *iis quidem in inferioribus partibus*, *quos circà præcordia inflammatio fatigat* (2); cujus poſtremi phænomeni exiſtentiam apud ægrum noſtrum arguebant præcordiorum contenſio, pulsûſque *irritatio* notabilis, nec-non ſepti tranſverſi ſpaſmodicus affectus &c. Delata eſt materies in teſticulum cujus tunica vaginalis, ut notum eſt, productione quâdam peritonæi ſuppeditatur, in vacuolum quod inter iſtam tunicam & albugineam obſervatur irrumpere neſciens; namquè, ut peculiariter animadvertit Clar. *Percivall Pott*, (3) communicatio inter illud vacuolum & cavum abdominis brevi poſt natales omninò intercipitur; ſed collecta materies in textu mucoſo qui poſticæ peritonæi ſuperficiei & plevræ adhæreſcit, ab una cellula in aliam, juxtà peritonæi productionem, progreſſa eſt ad uſquè ſcrotum, versùs quod meatus aut cellulæ textûs mucoſi, doloris ſtimulô, convertebantur. Notandus hìc etiàm venit, magnus ille *partes genitales inter & ſpiritales* conſenſus de quo plurimis in locis egit *Hippocrates*, præcipuè quod ad tuſſim, ſubortô teſtium tumore, diſcuſſam ſpectat. Maſſiliis, paucis ab hinc annis, novimus adoleſcentem in quo per dies aliquot tuſsim violentam & tumorem venereum in utroque inguine, alternatìm ſævientes obſervare licuit, nimirùm ſilente tuſſi, illicò rursùs attollebantur inguinum tumores, hâc redeunte, evaneſcebant; quodque ſilentio quidèm non prætermittendum, pulſûs caracteres futuras morbi ſeù affectûs tranſlationes diſtinctè prænunciabant; quod adhùc-dùm teſtari valet adoleſcens ipſemet, prædictorum hiſque reſpondentis eventûs non immemor. Sic ampliùs in iſto noſocomio regio notavimus nonnullas pthyſes lethales, ex tranſlatione humoris gonorrhææ virulentæ in pulmones &c. Paritèr etiam viſi ſunt graviſſimi pectoris morbi, diſcuſſis ſcroti tumoribus aut ſanatis herniis ſupervenientes. [4]. His omnibus in caſibus, *natura ſibi invenit vias* trans mæandros textûs mucoſi.

Mercator qui ad forum publicum decumbebat, ex morbo acuto pectoris empyematicus factus eſt. De ſalute quidem ægri deſperabatur, dùm pure rejectô per urinas, circà quadrageſimum diem perfectâ judicatione eſt abſolutus. Materies hujus-ce morbi empyematici, è textu mucoſo plevræ in quo hærebat collecta [5], ad textum mucoſum peritonæi promptè defluxit, &

---

(1) „Quibus in febribus ardentibus coxendicum dolor eſt, oculorum perverſio, „aut cæcitas, aut *teſtium tumores*, aut mammarum elevatio, hæc febrem ardentem „ſolvunt. (*De judicat. lib. ſect. II. pag.* 55.) Teſticuli quoque contentio (*in febre* „*ardente*) judicationis ſignificationem facit (*de rat. vict. in acut. ſect. IV. pag.* 396.)

(2) *Conc. prænot ſect. II. pag.* 181.

(3) A treatiſe on the hydrocele or watry rupture, &c. by *Percivall Pott &c.* London 1773.

(4) „Sæpè ego vidi multos per hernias liberatos eſſe à gravibus affectibus ab „empyemate, hydrope pulmonis &c. Undè ſi penitùs ſanetur, poterit multos mor„bos poſteà inferre. (*Fallop* Obſerv.)

(5) Non ſemèl in his caſibus materia plevram inter & muſculos intercoſtales coacervata obſervatur. Vidimus in cadavere cujuſdam empyematici pus craſſum &

exin, continuatô proceſſu, ad uſque veſicam pervenit cujus cavum per abſorptionis viam ingreſſa eſt. Decubitum iſtum materiei à pectore in ventrem inferiorem apud purulentos jamdudùm obſervavit *Hippocrates* [1]; dixit inſuper, cùm pituita *inter ſeptum tranſverſum & ventriculum concluditur, nequè in alterutrum ventrem viam habet, iis per venas in veſicam pituita verſa, morbi fit ſolutio* (2). Omnes propè-modùm *Hippocratis* interpretes, duce *Galenô*, viam qualis, in iſto *Hippocratis* loco, per venas materiei purulentæ aſſignatur, aſſentiuntur; verùm quæritur an veriſimile ſit maximam puris copiam adeò celeriter à venis abſumi, exindè devehi ad cor, tandèm per alias circulationis tramites ad veſicam deferri, idque omne fieri per breviſſimum ſpatium temporis quod plerumquè inſumitur in tranſlatione materiei cujuſdam abſceſſûs, (partem remotiſſimam ſæpiùs occupantis) ad veſicam? præthereà, ut obſervat *Mathiolus Sennenſis*, fieri non poteſt ut purulenta materia cordis viſcus & arteriarum capacities ingrediatur, quìn valetudinarius ſyncope aliiſque graviſſimis ſymptomatis aut morte intercipiatur, &c. [3] cur tandèm pus illud cum ſanguine commixtum, in urinarias vias potiùs quam in aliud organum quodcumque irrueret? ex his igitur neceſſariò, ut videtur, confugiendum eſt ad textûs mucoſi doctrinam, ad ſacculorum membranoſo-mûcoſorum latitudinem, ad illorum productiones &c. Hâc ſolâ doctrinâ adhibitâ, lubens patet ſolutio vel explicatio omnium phænomenorum hujus-ce generis, quam alioquìn obtinere fruſtrà tentares. Cæterùm, de hac eadem queſtione mentem ſuam expreſsè aperuit *Hippocrates*; dixit enim, *quæ per venas alvum, nervos aut cutem abſcedunt, ad oſſa medullam dorſalem aut alia quædam emiſſaria effluunt, qualia ſunt os, pudendum, aures, nares* [4]. In quo profectò videtur innuere id præcipuè fieri mediante *Corpore cribroſo*, quod, voce *ècroas*, hìc adhibitâ aliquantùm ſignificat, quamque ſagaciores interpretes per *ſpiracula emiſſaria* vertunt. *Tullios & canales per quos quæ abſcedunt corpus expurgant* ait *Foëſius*. Sic *tàs occéias tou encephalou ècroàs* vocat *Galenus*, cerebri per quæ expurgatur emiſſaria (5) &c.

XLV.

Hic etiam notandæ veniunt ſolutiones abſceſſuum quæ per repentinas & improviſas evacuationes fiunt. *Clazomenius*, æger numero decimus in libro primo morborum vulgarium *Hippocratis*, febre ardente ſpuriâ *Piqueri* corri-

---

ſub-viride plevram intercoſtalem inter & pulmonem dextrum eâ copiâ collectum, ut in anguſtum coactus pulmo verſùſque mediaſtinum depreſſus, placentulam exiguâ craſſitie æmularet. Plura hujuſmodi exempla reperire eſt in eximia admodùm *Hiſtoria Anatomico medica* Illuſtriſſimi *Lieutaud*, à Celeberrimo *Portal* Doctore medico Monſpelienſi, paucis ab-hìnc annis, edita, plurimiſque obſervationibus locupletata.

[1] De morbo libro. II. pag. 476.

[2] Aphor. lib. VI. ſect. VII. n°. 54. pag. 1260. *Foes.*

[3] *Vid. apud Zacut. Luſitan. Medic. princip. lib.* II.

[4] *De morb. vulg. lib.* II. *pag.* 1004-1005.

[5] *Vid. Foes. Comment. in loc. citat.*

piebatur. Decimo ſeptimô die, ſecundum utramque aurem tumor cum dolore ſubortus eſt. Per exordia ex lumbis & partibus ſuperioribus dolere cæperat. Circà vigeſimum ſeptimum vehemens coxendicis dolor adoritur. Ad trigeſimum primum alvi profluviô & urinis craſſis, tubercula nondùm ſuppurata circà aures conquieverunt. Ex dictis in §. XXVII. not. 8. & in §. XL. facilè concipitur pituitam ad partes ſupernas conſcendiſſe, & trans mæandros textûs mucoſi & vi attractoriâ doloris conſcendiſſe, ibique parotidem, modo quôdam decretoriô excitaſſe; tandèm ad partes infimas, converſô ſpaſmô doloris, iiſdem viis in ventrem inferiorem incoctam adhùc deſcendiſſe. Solutio iſta morbi in *Coacis* ampliùs memoratur. *Parotides in acutis ſuppurati expertes, funeſtæ; ſed forsàn his alvi feruntur &c* (1). *Inter acutos, parotides potiſſimum in cauſis aſſurgunt, ac tùm ſi febrem lege criticâ non expellant nec ipſæ coquantur, nec ſanguis fundatur è naribus, neç verò urinæ excipiant craſſam hypoſtaſim, moriuntur; ſed abſceſſus ejuſmodi non raró antè reſidunt* (2). Cùm his aliquantulùm congruit ſequens obſervatio.

Celeberr. cujuſdam Medici Lugdunenſis uxor paululùm melancholica, de præcordiorum anxietate, doloribus quandoquè intermixta, præcipuè circà hyppochondrium dextrum, conqueritur. Silent ac delentur penitùs affectus epigaſtrici, adveniente conſtrictione ſpaſmodicâ laryngis, quam excipit tumor in parte dextra colli, malum magnitudine ferè adæquans. Diſcutientia, maturantia, ſuppurantia & alia hujuſmodi per aliquot dies ſollicitè adhibentur, ſed fruſtrà. Verùm motâ ſpontè alvô cum nonnullis torminibus, pituita multa vitrea ejicitur; hìnc omninò conquievit tumor, & convaluit ægra. In hac obſervatione, præter ea quæ jàm in præcedenti notavimus, animadvertendum eſt abſceſſum juxtà *rectitudinem loci* factum eſſe, vel juxtà provinciam organorum. Portio textûs mucoſi actioni hepatis & partis dextræ diaphragmatis ſubdita, primùm experta eſt ſuccuſſiones quæ veluti reflexæ fuere ad latus dextrum colli, cui nonnullæ productiones plevræ inſeruntur. Converſâ ad ventrem inferiorem meatuum textûs mucoſi, nec-non motuum naturalium hujus-ce textûs directione, per datam ſcilicèt inteſtinorum irritationem, in hæc irrupit materies nondùm cocta. Ex hoc viſcerum ex alterutro latere corporis appenſorum influxu in textum mucoſum ejuſdem lateris, plurima ſanè morborum phænomena dilucidantur. Quis enim, v. g., allucinari adeò valet, ut non diſgnoſcat varios exiſtendi modos quos textus mucoſus alterutrius lateris, ac conſequentèr humores ſuſcipiunt, ex diverſis affectubus quibus tùm hepar tùm lien aliquandò tentatur? Non aliis certè principiis nititur obſervatio *Hippocratis*, nempè in partem dextram magis quam in ſiniſtram defluxiones fieri (3). Juxtà *Dodonæum & Carolum Piſonem*, *experientia conſtat in omnibus nephriticis ferè dolere renem ſiniſtrum, in paucis admodùm dextrum* (4) hùc facilè revocari poſſunt, quæ tetigimus in §. XVIII. de minori denſitate, minorique elaterio ſiniſtræ portionis textûs mucoſi cum dextra comparatæ, corpus

---

(1) *Hippocr. coac. lib. 2 cap. 4. ſentent. 5. pag.* 107.
(2) *Hippocr. in coac. Duret. loco citat pag.* 110.
(3) *Hippocr. de morbo ſacro, ſect. III. foes pag.* 306.
(4) Vid. apud *Carol Piſonem de morb. a ſeros. colluvie ſect.* 1. *pag.* 38.

ſpectando quatenùs in duas partes æquales diviſum. De his ſequentem obſervationem notavimus. Miles quidam in iſto noſocomio regio decumbens, ab uno circiter anno, ingenti tumore ſchirroſo teſticuli dextri laborabat. Subortô ulcere, denatus eſt penè maraſmo confectus, jàmque à plurimis diebus nubeculam inſignem in agnata oculi dextri referens. Sectô cadavere, pulmo dexter, plevra vicina & jecur in conſpectum venere tuberculis, laminis-ve ſchirroſis multùm conferta, textuſque mucoſus ejuſdem lateris humore quôdam lymphatico, ſubflavo, nec-non viſcido madeſcens videbatur, viſceribus textuque mucoſô lateris oppoſiti, prorsùs illæſis aut habitum naturalem referentibus.

XLVI.

Internorum plerorumque remediorum actionem quantùm ad textum mucoſum dumtaxàt conſideratam, non aliô ſanè criterio rectè percipere valeas, niſi mediante mucoſi textûs doctrinâ. Et meherculè alia ſunt, ut putà *vomitoria*, queis utroſque plevræ atque peritonæi ſacculos, nec-non totam mucoſi textûs molem, de proximo in proximum ad uſquè peripheriam corporis concutere datur, ac utiquè commovere partìmque exprimere humores in hoc textu hoſpitantes; alia ſunt *Cathartica* quæ pro-ùt irritationem inteſtinis inducunt, ad eorum colatoria humores quoſcumque in textu mucoſo circumambiente collectos adducunt, modò tamen iſti ad motum convenientèr ſint expediti. Purgantia quatenùs in genere textûs mucoſi meatibus directionem versùs inteſtinorum tractum magis concentricam impertiuntur, ampliùs ad hunc-ce humores ambitûs corporis trahunt. Purgans, v. g., propinetur datô quôdam ulcere in ſuperficie corporis aut fonticulô uberrimè ſuppurante, hìnc brevi exſiccabitur iſte, ſufflaminatâ ſuppuratione. Œdemata partes externas deturpantia, quotiès, purgantis actione, diſcuſſa omninò viſa ſunt? *C. Piſo* unius tabellæ diacarthami uſu aſcitem penitùs depulſam obſervavit (1). Quod verò ad alia remedia pertinet, qualia ſunt pleraque ut vocant *Alterantia*, agunt iſta dilatando, rarefaciendo cellulas poroſque textûs mucoſi, vel hæcce coârctando, corroborando, aut pravam meatuum directionem immutando &c, Jàm verò, fortaſsè inquient cùm plærorumque morborum materies in textu mucoſo hoc eſt extrà vaſa, vel in quibuſdam textûs mucoſi provinciis ferè ſemper reſideat, procùl à colatoriis inteſtinorum degens, cùm hæc materies certis dumtaxàt temporibus à natura ipſamet determinatis moveatur, vel ad evacuationem niſi poſt aliquod tempus apta ſit, nec-non textûs mucoſi diſpoſitio peculiaris ad hanc-ce humoribus aptitudinem conciliandam, neceſſariò requiratur (v. §.XVIII & XLIII.), ex his profectò vanam & damnoſam qualemcunque methodum pronunciare lubet, quæ nihil aliud quàm purgationem & ſanguinis miſſionem clamat & anhelat, has evacuationes indiſcriminatìm in quocumque morbi tempore, vel in omnibus morborum circumſ-

---

(1) Cap. III. de morb. ventr. infer. à proluvie ſeroſa. pag. 333.

tantiis, nuſquàm laſſata profundens (1), Dogmaque *purgandum*, *ſaltèm alternis*, omninò diruendum excutiendum eſſe, tamquàm exitioſum, barbarum & damnabile dogma? ità profectô ſe res habet, nec quicquam, ut ex doctrina textûs mucoſi patet, à naturæ propoſitis ſic abeſt vel legitimæ medicinæ adeò adverſatur, quàm illa turbulenta praxis omni ævo ab artis magiſtris meritò damnata & nullibì Medicis *Hippocraticis* ferenda. (2)

XLVII.

Jam ex *Hippocrate* monuimus (§. XXX) ſuccorum partem qui coctionem liquationem-ve coctionis ſubierant, aliquandò firmam hærere in textu mucoſo præcipuè *intermedio*, atquè inibi commorari donec inſpiſſetur & concreſcat, quodquidem datô quodam ſpaſmô vel inductâ attoniâ non raró contingit. Atqui, ut jàm notatum eſt §. XXVIII. & not. 4. præſentia illius materiei ſic in textu mucoſo firmatæ, non poteſt quìn motus ſolitos fibrillarum hujuſque textûs ipſiuſmet impediat, diſturbet prout mole vel copia creſcit. Hìnc etiàm naturalis ejus cavitatum directio pervertatur opportet, æquè ac proceſſus naturalis humorum qui tùm exindè neceſſariò depravantur; quæ quidem inordinationes variæ, cùm ſint in ratione reciproca molis aut voluminis materiæ *fixatæ* & loci quem iſta occupat in textu mucoſo, nec-non in ratione

---

(1) De hac inordinata praxi facilè dijudicare poſſumus ſequentibus candidè excerptis è diſſertatione quadam *de vulneribus* propugnata, jàm à plurimis annis, in hoc Lyceo medico. *Sed quo tempore porrò purgandum in vulneribus quæres? Et quidèm omni indiſcriminatim tempore....* PURGABIS *itaquè vulneratos celebratâ venæ ſectione, quôlibet die indiſcriminatim antequàm ſuppurationis conſuetum tempus acceſſerit*; PURGABIS *tranſactô ſuppurationis tempore*; PURGABIS *quoque inter initia....* PURGABIS *ſimiliter ubi diarrhœa vulneratum invaſerit*; PURGABIS *ſi ſopore gravi corripitur, additis quoque mochlicis medicamentis*; PURGABIS *ſi delirio*, PURGABIS *ſi motibus convulſivis tentetur &c. (vid. cap. de cura. intern. vulner.)* quid igitur, hi medici *Hippocratem* deridere & *veterinarium* appellare auſi ſunt?

(2) „Illi ipſi expurgatores quibus nihil aliud in mentem ſubit, quàm vitioſa è corpore „pellere quaſi manu ageretur, nequè obſtaret quidpiam, non contenti ſua illa „minorativa; nunquàm dimittenda expurgatione quam in ipſo limine curationis perpetuò moliuntur, omni morbi tempore, quìn & ſingulis diebus purganti medica„mento uterentur, ſi vellet ægrotus parere ſingulis diebus nullâ concoctionis nequè „alterius præparationis ratione habitâ. Nimirùm hi omnia quæ de concoctione phi„loſophati ſunt veteres, cenſent meras nugas. Tantùm ſpectant quæ de ventre exeunt, „eaque quò ſunt deteriora, eò meliùs actum cum ægroto putant, cùm interìm plu„rimorum corpora colliquent; hi ſanè ferendi non ſunt. (*Franciſc. Valles. method.* „*medend lib.* IV. „Addit conterraneus *Valleſii* celeberr. *Piquer*, & el mannà, el jarave que llaman *aureo*, y otras medicinas ſemejantes, nada aprovechan para curar la enfermedad, porquè ſon poco eficaces para eſte efecto, y ſolo ſirven para perturbar los movimientos bien ordenados de la naturaleza. Quien ha viſto haſta ahora curarſe una calentura ardiente exquiſita con el mannà, ò jarave *aureo*? Y còmo pueden eſtas medicinas ſacar de el cuerpo el humor bilioſo, producidor de eſtas enfermedades, quando por lo comun eſtà eſparcido por todo el cuerpo, y en partes tan remotas, que eſtan fuera de la actividad de eſtas purgas? (*Tratad. de las calenturas pag.* 86.)

majoris ſeu minoris diſtantiæ quæ fibrillas ſeù textum mucoſum *organicum* & hanc-ce materiem interjacet, profectò morbos plus vel minùs graves plus minùs-ve difficiles cùm tempore producere debent. En fons vel origo plerorumque morborum *chronicorum*, quorum nonnulla exempla idonea hìc afferre juvat.

Domina *Chapotin* in horto Domini *Belmond* decumbens, tumorem in abdomine penè lapideum, jàm ab octo annis gerebat, qui loricæ inſtar partem anticam omnem abdominis conveſtiebat, nempè à cartilagine xiphoidea uſque ad oſſa ipſamet pubis, quique ex utroque latere ad ilia retrò protendebatur. Matrona hæc-ce inſupèr inſigni leucophlegmatiâ laborabat fædôque colore cutis impensè deturpabatur. Exceperant affectus iſti hemorragias uterinas quas ex terrore, inaſſuetis admodùm laboribus & abortu, per obſidionem oppidi dicti *Le Fort St. Pierre* apud Martinicanos, ubi tunc degebat iſta, diutiùs perpeſſa erat. Hujus-ce ingentis tumoris craſſities, quantùm digitô comprimente dignoſcere potuimus ubi paululùm liquari cæpit in parte ſuperiori, pollicem unum & dimidium ferè adæquabat. Remediis ad majorem partem è plantarum venenatarum familia depromptis, ſexdecim menſium ſpatiô indeſinentèr adhibitis, perfectè ſanata eſt. Jàm verò, tumoris hujus-ce materies, ex irritatione uteri & epigaſtricæ regionis in alia viſcera contermina propagata, ortum ducebat; ſi quidèm ex his viſcerum intemperiebus ſuperfluxit humor, cùm in nutrimentum converti non poſſet. Quapropter ad textum mucoſum harum-ce partium primùm adductus, in hunc continenter profuſus eſt, & exìn à cellula in cellulam progrediendo, ſpatium quod muſculos anteriores abdominis & peritonæum inter-jacet, totum conferſit inibì concreſcens. Illud teſtatur proceſſus liquationis materiei, quæ liquatio ſuperiùs, nimirùm à cartilagine enſiformi, incôhata, exìn ad uſquè uteri ligamenta & vicinia ſensìm progreſſa eſt ubi tardior ac difficilior obſervabatur. Hìc enim per aliquod tempus, jàm antè penitùs diſcuſſô tumore partis anticæ abdominis, durities quædam inſignes tactû percipiebantur, quæ tandem omninò diſcuſſæ ſunt. Hìnc etiam pituita alba detinebat & totum corpus tumore albô intumeſcebat, cùm pituita hæc ſuperabundans minimè expurgata, in ejus carnes verteretur (1). Etenìm textus mucoſus *intermediarius* ambitûs corporis, æquè ac motuum internorum & externorum antagoniſmus, ex morbi diuturnitate peſſundabantur.

Dno. *Deloze* octogenario qui propè magnum fanum habitabat, altera erat durities ſchiroſa pollice unô craſſa, nil admodùm indoleſcens, totumque hypogaſtrium occupans. Senex iſte frequenti urinæ profluviô (id eſt *diabete*) ab aliquot annis tentabatur. Circà diem decimum febrîs cujusdam exacerbantis, cruentas ſimùl & mucoſas urinas uberrimè profudit, tantaque copiâ ut ſtragula ac lintea quæque cubilia his ſummè conſpurcarentur, haſque non ſinè levi quodam ſenſu doloris in ductu vrethræ reddidit. Poſtridiè ventrem ægrotantis contrectantes, dimidium omninò hujus-ce duritiæ uſque ad lineam albam liquatum mirè obſervabamus planèque diſcuſſum, ne relictô minimo quidem veſtigiô. Quinque elapſis die-

(1) *Vid. Hippocr. affect. lib. ſect. V.*

bus altera pars duritiæ quæ hactenus integra perſtiterat, eumdem habuit exitum; tota ſcilicèt de repentè liquata irruit in urinarum laticem, quæ utiquè mucoſæ ſimùl & cruentæ, ac uberrimæ proditæ ſunt. Durities hæc, ut luculenter nobis patuit, in ſua parte media per albam lineam veluti ſcindebatur in duas partes admodùm æquales; quod quidèm phænomenum fluit naturaliter ex peculiari conſtrictione laminarum textûs mucoſi, in eo corporis loco potiſſimùm obſervanda, ut notavimus in §. I X. Hærebat materies in textu mucoſo peritonæum intèr & muſculos abdominis concreta; febre verò liqueſcens intùs ad uſquè veſicam permeavit, trans mucoſi textûs meatus.

XLVIII.

Præthereà caſus alii dantur in quibus mucoſus humor in textu mucoſo quem confercit hoſpitans, quemdam ſortitur peculiarem exitum qui quidem hîc loci notari meretur; caſus dicimus, in quibus humor iſte in purulentiam, progreſſu temporis, vertitur, mediante ſcilicèt coctione quâdam molli, lentaque, quam vel in textu mucoſo vel in vaſis experitur, abſquè ulla omninò febre ſaltèm notabili. Deindè materies ſic alterata, vias ſibi ipſimet ſternens, ad privata quædam emunctoria defertur, per eaque foràs expellitur. talia apud eos obſervantur qui *ſuppurati ſine febre* vulgò dicuntur. *Hippocrates* de iis meminit qui pus copioſum citrà febrem expuunt, hujuſque phænomeni cauſam exponit, tanquàm obſervatorum facilè princeps qui obſervata quæque ſecùm ipſe profundè reputavit. *Qui pus copioſum citrà febrem expuunt.....* *hos*, ait ille, *immodicis corporis exercitationibus & laboribus addictos, & cùm juvenes eſſent operas exercuiſſe neceſſe eſt. Deindè, dimiſſis laboribus, molli carne & multùm à ſuperiore differente expletos, tàm longè inter ſe diſſidentem corporis habitum habere, ut priſtinus cum eo qui poſteà accrevit nulla in re conſentiat* (1). Similiter adhùc *Aëtius*, *novimus autem quoſdam citrà febrem ſuppuratos ex ſeroſo aut pituitoſo humore ex reliquo corpore, in vacuum thoracis delapſo, iſticque putrefacto* (2). Idem ex magno *Hippocrate* repetit magnus *Ballonius* (3). Aſſerit inſuper, ſe vidiſſe totum ſyſtema venoſum pure refertum, & obſervationem afert cujuſdam mulieris quæ per octo menſes indeſinentèr *urinas craſſas materia albâ & purulentâ plenas* reddidit; *quidam*, addit ille, *abſceſſum in renibus eſſe exiſtimabant, ſed contrà, materia illa ſubibat venas jàm cocta, putrefacta (ut verbô antiquorum utar) & mitificata, & hypoſtaſim multam faciebat.* Quædam adhuc valdè analoga aut vix diſſimilia refert Celeberr. *Haënius* (4), quamvìs tamen ne verbulum quidèm addat de autoribus ſuperiùs

---

(1) *De natura homin. ſect.* III. *pag.* 230.
(2) *Tetatrib.* 2 *ſerm.* 4. *cap.* 65. *de pector. ſuppur.*
(3) „Qui ſolita relinquentes munia, ſe otio ac deſidiæ dedunt, illi pus, (id eſt „mucum crudum qui, poſt aliquam elaborationem, pus ipſum mentitur apud *Gale*„*num*), excernunt per os è pectore, per urinas, per alvum. (*De Vrinar. Hippoſtas pag.* 247.
(4) *Ratio med. tom. I.*

periùs laudatis. Probabile eſt quod in caſibus memoratis, recens humor alibilis ſeù mucor nutritius rectè mucoſo textui adæquari nequeat, hunc ſcilicèt renovare ſeù convenienter enutrire non valeat; undè veluti quidam novus ac extraneus textus mucoſus efformatur, quemadmodùm efformari vidimus (§. XXXV.) apud eos qui è ſolo patrio, in aliud migravere. Hoc eſt (ut res eadem aliis verbis ſignificetur), molli carne & multùm à ſuperiori differenti expleti, tàm longè inter ſe diſſidentem corporis habitum habent iſti, ut priſtinus cum eo qui poſteà accrevit nulla in re conveniat. Non aliter etiàm, ut conjicere eſt, Cuniculi experiment. IV. textu quôdam mucoſo fictitio, per dies aliquot ſuſtentati ſunt. Porrò ſucci iſti mucoſi vix adhæreſcentes in textu mucoſo luxuriant, ibique morâ, calore &c. coctionem ſeù elaborationem quamdam ſubeunt quâ vertuntur in pus. Sicuti verò pus iſtud nullâ interveniente febre efformatum eſt, ità demtâ omninò febre paritèr expurgari valet; quodquidem fit per veſicam aut per pulmones, potiſſimùm verò per iſtos qui pus vehementer attrahunt, nempè ſuccuſſionibus validis quas textui mucoſo magnum plevræ ſacculum ambienti inducunt; non ſecùs ac videmus tùm iſtis plevræ ſuccuſſionibus adauctis, tùm pituitæ redundantiâ dùm Eurus ſpirat, paroxiſmos apud nonnullos aſthmaticos recrudeſcere. Præterea cùm *Martiano* & *Ballonio* animadvertendum eſt, pus iſtud, ut rectè *Hippocrates* intellexit, jàm in mucoſo textu confectum eſſe, antequàm ad veſicam aut ad pulmones adducatur, quæ organa nil niſi emunctoria huic præbent; *ſtatìm à principio matura expuuntur quæ, puris nomine, hoc loco intellexit Hippocrates*, ait *Martianus* (1); dùm è-contrà perperàmque dicat *Aëtius*, pus in pulmonibus fieri, nempè *iſtìc putrefacto* . . . Notare etiàm expedit, pus iſtud neutiquàm aſſimilandum eſſe puri *tabidorum & empyematicorum quos febris lenta perpetuò tenet*, ut pus ejectum per urinas abſquè ullo dolore, non idem profectò eſt ac illud quod ex ulcere renum provenit (2). Deniquê tandèm ex his colligi poteſt, quanta cautio adhibenda ſit in ablactandis puerulis. Quàm-plurimi enim morbi quibus ætatula iſta conflictatur, ex incuria parentum aut nutricum circà victum ablactatorum, evidentiſſimè pendent.

XLIX.

Plurimi hydropes non aliundè quidèm enaſci videntur, niſi ex hoc pravo habitu textûs mucoſi, qui habitus viciſsìm inducitur affectionibus viſcerum quas *intemperies* cum veteribus appellare juvat, præcipuè viſcerum epigaſtricorum quæ ſubindè magis magiſque pituitâ ingurgitantur, fiunt que pari paſſû ad debitam iſtius coctionem inhabilia. Hæc autem pituita gravans viſcera vel in aquam aut ſerum vertitur, ope caloris colliquantis, ut ſentit *Hippocrates*; vel pars ejus in textu mucoſo aut ejus cellulis quaſi defixa & incraſſata, partem aliam aqueam è penu ſuo ejicit quà circumdatur (3). Ex alia parte, repreſſâ perſpiratione & everſô ad majorem partem textûs mucoſi tono, humoris aquei latex adaugetur eò magis quod potus ad hæc viſcera deferatur,

---

(1) Comment. *Quicumque pus multum ſpuunt citrà febrem vers.* 233.
(2) V. *Martian.* ibidem.
(3) *De morb. lib.* VI.

neque veſica probè tranſmittat (1), ac veluti reſiccata ſit non rarò membrana peritonæi. Humore iſtô adimplentur potiſſimùm lien & omentum ; pleruinquè etiàm *rumpitur omentum* & in cavum abdominis effunditur humor. *Sin minùs iſthìc ſolum circà ventriculum volutatur* (2), id eſt in ſpatio ſacculorum plevræ ac peritonæi intermedio, undè minima occaſione datâ, præſertìm verò dùm à dolore attrahitur, ad inferiora quàm-facilè irruit. Hìnc patet cur *Hippocrates* voluerit, ut *aquæ inter cutem indicia circà ventriculum ſolum conſiſtant* (3) ; *at verò*, addit ille, *circà ventriculum ſolùm aqua inter cutem iſtam ob cauſam oritur*, non aliuſque datur *hydropis ortus* (4). Et reverà certum eſt plurimos hydropicos de regione epigaſtrica conqueri, longè priùs quàm abdomen in tumorem ſenſibilem attollatur, aut partes inferiores œdemate corripiantur. Certiſſimum itidèm eſt ſuprà dictam epigaſtrii regionem, ſæpiùs tunc temporis intumeſcentiâ quadam paſtacea notabili tentari, atquè ibidèm non leve incommodum perſentiri. Apud cadavera hydropicorum, omentum ferè ſemper obſervatur corruptum aut inſignitèr maceratum, flaccidum ; pluraque alia ſimùl regionis epigaſtricæ viſcera infarctibus lymphaticis vel obſtructionibus obruta conſpiciuntur. Juxtà experim. III. (vid. experimenta) aqua per corporis habitum immiſſa, in Epiploon magna copiâ efluxit. Sic ope doctrinæ *Hippocratis* peculiari doctrinâ mucoſi textùs magis magiſque illuſtratæ, ſpontè adhùc enodantur phænomena quæcumque in ſequentibus obſervationibus notata.

Prior quidam Carthuſianorum jàm à nonnullis annis palpitatione cordis laborans, podagrâ in pede ſiniſtro corripitur ; tumore œdematodæo brevì intumeſcunt pes, tibia & femur, quo factô ſensìm remittitur palpitatio ; aſt tumor & dolor paulò poſt minuuntur, aquâ tanquàm ad ſuperiora remeante, & pari paſſu reddit affectio cordis.

Quidam miles ſcorbuticus ulcera patitur in parte ſuperna œſophagi *Pharynx* dicta, quibus eroduntur pariſthmia & velum palati. Curatione idoneâ, ſensìm ulcera evaneſcunt ; ſed brevi pòſt, adauctô dolore in epigaſtrio, multùm conqueritur æger ; adſunt inſupèr ventris tormina, quibus ſedatis tumor aqueus ventrem & inferiora adoritur. Elapſis circiter diebus duodecim, ulcera oris denuò recrudeſcere videntur, & tumor aqueus ad maximam partem in inferioribus minuitur. Tandèm aquâ ad pectus irruente brevi ſuffocatus eſt æger.

L.

Hæc autèm pituitæ converſio in aquam aut ſerum ab *Hippocrate* excogitata, minimè quidèm fictitia eſt, quìn potiùs obſervationibus comprobari videtur. Sic, ut jàm vidimus, pituita liqueſcit in capite & aquæ formam induit (5). Sic in textu mucoſo thoracis collecta liqueſcit, & in aquam vel

(1) De morb. *pag.* 514 & 515.
(2) Ibid.
(3) Ibid.
(4) Ibid.
(5) „Quod colliquatum eſt in aquam vertitur, foris cerebrum ambit, & circùm„ circà alluit. (*De morbo ſacro pag.* 307.

ſerum non rarò convertitur ; undè hydropes pectoris obſervantur imò & paralyſes à defluxu humoris catarrhalis , pituitoſi in pectus, vel à rheumate neglecto aut ſaltèm malè curato. Prò millenis ſit *paradeigma* ſequens.

D. *Raoux* , ſeptuagenarius ac temperamentò phlegmatico prædìtus , qui non longè à foro publico *magnum ſanum* dicto habitat , tuſſi violenta diù noctuque, menſe februariô proximè elapſo , tempore jamdiù auſtrali & humido , vexabatur , ex defluxione humoris catarrhalis in pectus dextrum. Omnem prorsùs therapeïam , dietam & alia quæcumque idonea pertinacitèr reſpuebat. Die decimo octavô , ſub veſpere , brachii & femoris dextri reſolutione corripitur , cum ſenſu diſtractionis dolorificæ qui obliquè , è capite humeri dextri , ad uſquè xiphoïdeam cartilaginem pectus decurrit ; eôque adeò diſdiſtorquetur æger , ut reſupinus lectoque defixus jacere cogatur. Adſunt inſupèr dolores in lumbis & in femore. Interìm ne leviſſimam quidèm capitis offenſionem experitur , atquè rationis & excellentiſſimæ mentis ut anteà compos, conſtantèr ſe habet ægrotans. Propinatis emeticis , catharticis , cephalicis , diſcutientibus , enematibus , fricationibus aliiſque hujuſmodi , femur aliquantulùm reſtituitur. Ad thermas Bellilucanas delatus , ibique potu aquarum , balneatione & duciis uſus , brachium & manus tumore œdematoſô intumeſcunt ; ſed exìn faciliùs quàm anteà partes has-ce movere valet æger , & dolor diſtractoriùs è pectore prorsùs diſpellitur, qui tamen ſemper viget quaſi defixus in humero. Jàm verò impromptu eſt 1°. Quod irritatio à ſero acri diſtillante in pulmonem dextrum priùs inducta , ſtrangulationem in textu mucoſo & plevra ejuſdem lateris ſubindè produxerit , quæ ſtrangulatio præfatis diſtractionibus dolorificis sàt ſupèrque indicabatur. 2°. Quod hâc ſtrangulatione quaſi inflammatoriâ magnam pituitæ copiam attrahente , hæc iterùm cauſa cum priori conjuncta nervos brachiales admodùm ægrè affecerit. 3°. Quod ſeroſa colluvies capitis in ductum oſſeum vertebrarum ſe ſe propagans , noxia fuerit potiſſimùm nervis qui emergunt è latere partis inferuæ medullæ ſpinalîs femorem totamque tibiam &c. animaturi , quique ſunt totidem propagines prædictæ medullæ. Remedia priori locô adhibita , infimarum partium affectionem partìm diſpulerant, quia materies inibi tenuior ac mobilior erat ; aſt cùm thermæ Bellilucanæ initium coctionis in pituita textum mucoſum lateris dextri thoracis conferciente , moviſſent , hìnc diſcuſſa eſt ſtrangulatio , & ex æquò pituita liquefacta converſa fuit in ſerum vel in aquam quæ , è cellula in cellulam irrependo, effuſa eſt in brachium , undè allevatio nervorum huic pertinentium. Jàm monuerat *Hippocrates* , quod cùm ſanguis à pituita fuerit *ſuperatus* , *congelatur ut proindè partes illæ in quibus corruptus ſanguis fuerit* , *ad motiones impotentes evadant. In partem autem dextram magis quàm in ſiniſtram defluxio fit* (1) ; cujus poſtremi phænomeni , ex *Hippocrate* , ratio eſt *quia venæ ampliores ſunt & plures quàm in ſiniſtris* (2) ; quod inſupèr explicari facilè poteſt per elaterium majus quô donatur textus mucoſus hujus lateris , & firmiorem naturæ conſuetudinem ex validiori partium correſpondentium exercitatione. Dixit etiàm vir ille immortalis , *valdè*

---

(1) *De morb. ſacro pag.* 306.
(2) *Ibid.*

ſenes autèm cùm ſupervenerit hic morbus, *ideò interficit*, *aut parte aliquâ reſolutos reddit* (1). Notum eſt deniquè *Hippocratem*, prò cauſa proxima ſeù materie doloris iſchiadici, voluiſſe ſerum in capite ſuperabundans, quod exin canalem oſſeum vertebrarum ſubeuns, medullam ſpinalem ad uſquè nervum iſchiadicum ejuſque ramuſculos perfundit (2); quæ quidem doctrina nupèr ab illuſtriſſimo *Cotunnio* non tantùm, præmiſſis experimentis, adoptata fuit, ut videre eſt in eximio ſuo opere de *iſchiade nervea*, verùm etiàm miris admodùm curationibus quas præſtitit autor confirmata, applicatô ſcilicèt, juxtâ methodum antiquorum, veſicante vel cauteriô circà caput fibulæ, in quem locum inſignis nervi iſchiadici ramus excurrit, cujus methodi præſtantiam non ſemel experti privatìm noſmetipſi aſſeverare poſſumus. Addendum inſupèr eſt, *Carolum Piſonem* plures brachii paralyſes obſervaſſe ex *compreſſione refrigeratione-que*, *ab aqua in thorace ſtagnante*, *intercoſtalium muſculorum à quibus ad brachia derivantur nervi*. Sic enìm, pergit ille, pulmone inflammatô brachium reſolvi obſervavit *Hippocrates* (3). Si vehementèr inflammentur appendentes utrinquè pulmonis partes ut in latus incumbat, reſolvuntur ea parte corporis, aït venerandus Senex (4).

L I.

In hac pituitæ degeneratione vel converſione in ſerum, hujuſque coâcervatione, nec-non in memorata viſcerum intemperie, hoc eſt in tonò textûs mucoſi & fibrillarum depravato, reperire eſt cauſam proximam fluxionum ſeroſarum quæ infinitos penè numerô morbos pariunt. Et quidèm ſupponatur, v. g., quodcumque viſcus aliquâ intemperie affectum, ſivè ex conſtanti irritatione vel diuturno ſpaſmo quô tandèm alteratur aut enervatur textus mucoſus, tanquàm exindè reſiccatis aut labefactatis ejus laminis, ſivè à quacumque alia cauſa plùs minùs-ve notabili, certè enim textûs mucoſi motus, œconomia in genere plùs minùs-ve tunc temporis perturbabuntur; atquè proindè humores vel circà viſcus illud in textu mucoſo *intermediario* volutari, vel in illius textu mucoſo proprio congeri debere pronum eſt. Tandèm in utroque caſu, profectò erunt malè diſpoſiti aut pravè adæquati humores iſti, mucoſaque imprimìs eorum portio depravabitur immutabitur que, ſaltèm ex parte, in ſerum plùs minùs-ve tenue & acre, nimirùm juxtà facultates huic viſceri proprias & quod ei obtigit munus. Serum autèm iſtud, quô viſcus aut illius textus mucoſus gravatur, *vel quocumque ſors tulerit fluit*, *potiſſimùm autem ubi quid valdè ſuper-tumefactum fuerit*, *hanc ob cauſam fluit* . . . . *humor qui contineri non potuit effluit*, *fluitque quocumque datum fuerit* (5); id eſt, ſuo propriô pondere diffluet humor ille per textûs mucoſi meatus, atquè vel in partes vicinas irruet, vel in eas quibuſcum pars ægrotans ſivè naturâ ſivè con-

---

[1] *De morbo ſacro*, pag. 306.

[2] „Alius morbus ex defluxione capitis per venas in ſpinalem medullam, cùm „indè ad os ſacrum impetu fertur, ſpinali medulla eò fluxionem deducente, & „in coxendicum acetabula deponente (*de Glandul. ſect.* III. *pag.* 273.)

[3] *Vid.* Sect. III. *cap.* VII. *morb. thorac. intern. ab illuvie ſeroſa pag.* 243.

[4] *Coac. prænot aphor.* 400.

[5] *De loc. ic homine pag.* 411.

ſuetudine conſentit. Non alitèr vidimus ſerum è capite in oculos, aures; colli glandulas, pulmones, ſtomachi vicinia, parteſque alias inferiores defluere, quarum omnium mucoſus textus meatus patentiores præbet, ac parciùs quàm textus mucoſus proprius encephali irroratur (1). Quandoquè verò dùm organô quod cum viſcere affectô conſentit ſerum attrahitur, ad illud defertur (2), ut v. g., cùm jecur, lien aliaque viſcera epigaſtrica ad partes ſuperiores dimittunt (quod plerumquè fit juxtà rectitudinem loci); vel eâdem opera ad tertiam corporis regionem, id eſt ad textum mucoſum *intermedium* ambitûs corporis, ſerum appellit &c. Jàm verò portio textûs mucoſi *intermedii* quam permeat fluxio actu ſeſe movens id eſt ex una parte in aliam migrans, fluento humorum aùt fluxionis quôdam modo obſequitur; hoc eſt lamellarum textûs mucoſi elaſticitas ejuſque pororum aut meatuum directio, huic-ce humorum fluento obſecundant cedunt, donèc idoneis auxiliis, præſertìm revulſionibus, derivationibus, evacuationibus, interceptionibus, affectus iſti quos textus mucoſus patitur in ſuo exiſtendi modo, tollantur penitùs aut emendentur. Talia eadem nos verbis propriis edocet medicinæ Parens dùm ait, *omninò autèm fluidis factis fluxionibus, fluidus etiàm fit locus in quem fertur, quoad fluxionis viæ præ gracilitate compreſſæ fuerint* (3).

L I I.

Ex dictis facilè colligi poteſt, quantùm *Uſtiones* vel *Cauteria* (4) conducere

---

(1) „Cùm autèm inferiores partes ſiccæ evaſerint, ſuperiores verò humidæ.... „tùm ſanè ſicca corporis pars humorem ex capite ducit, ſimùlque meatus ei quæ „ducit magis patent, quàm ei à quâ ducitur (*Hippocr. de loc. in hom.*)

(2) „Altera enim pars ad alteram delegat in corpore ubi ſingulis, pluſquàm oportet affuerit, & continere non potuerint. (*Hippocr. de morb. mulier.*)

(3) *De loc. in hom.*

(4) De Uſtionibus hic animadvertere expedit, quod Celeberr. *Haenius* uſtiones cranii penitùs evertere, id eſt è cenſu magnorum præſidiorum omninò prorsùs expungere contendat, ex eo quod in duobus vel tribus tantùm caſibus quos refert, (*vid. Ratio med.* tom III. cap. VI.), res ipſi infeliciſſimè ſucceſſerit. Verùm quærere liceat 1°., an ex duobus tantùm infortuniis, aut ex binis obſervationibus obitèr captis methodum quamdam per-utilem hactenùs habitam, nec-non omni ævô à famigeratiſſimis in arte viris felicitèr inſtitutam, *damnoſam* pronunciare decet? 2°. An operatio qualis à mòx laudato viro deſcribitur, cautelas requiſitas omnes, legitimamque operandi methodum complectatur? Quod ad primam quæſtionem attinet, ſapientis & æqui rerum æſtimatoris profectò nobis eſſe videtur, nil, niſi poſt congeſtas obſervationes, ut aïunt, *contradictorias*, & depoſitô omni quocumque præjudiciô peractas, de alienis obſervationibus judicium facere, præſertìm quotiès infinitis penè numero præſtantibus viris, inter quos ſummi artis Proceres, contradicendum eſt. Dolendum ſanè nonnullos alioquìn magnæ doctrinæ viros, ab iſta regula, hodiernis temporibus, juſtô longiùs aberrare. Hi namquè experientiam & obſervationem ad normam notionum ſuarum & peculiaris quem ſibi fingunt *Epilogiſmi* redigi contendunt, undè facta quædam practica ſummi momenti, fortè quatenùs ab aliis allegata, licet tamen è fonte græco cadant, vel merô dumtaxàt ratiocinio, vel unica aut altera perfunctoriâ obſervatione diruere acritèr allaborant, poſthabitis diuturnis obſervationibus clinicis, nec-non millenis ac graviſſimis teſtimoniis quibus fulciuntur aut perhibentur iſta; dùm aliundè ſua tanquàm ore divinô ipſomet præ-

debeant pleriſque in veteribus fluxionibus, ſivè quamdam in textu mucoſo ſtrangulationem efforment, quæ mittentem aut retinentem organi fluxionis actionem ſuperat, ſivè erigant vel propiùs admoveant textûs mucoſi lamellas ac proindè iſtius aut viſcerum tonum reſtituant, ſivè etiàm meatuum aut cellularum illius textûs directionem immutent & ab internis ad exteriora humores attrahant, vel contrà rectitudinem loci quam, ex conſuetudine naturæ, ſubſequuntur iſti attrahant, ſivè tandèm iis fluxionis humoribus emiſſarium aut ſtillicidium quoddam, ſaltèm per aliquod tempus, præbeant, quô corpus utilitèr expurgatur (1). Non aliter *fonticuli* & *ſetones* ut auxilia præſ-

---

cepta proponunt, hiſque ſivè praxim ſivè theoriam dirigi ſiſti, abſquè ulla controverſia, volunt, in hoc quaſi Dictaturam artis, neſcio quô jure, ſibi arrogantes. Quod verò ad alterum quæſitum, in limine notabimus, 1°., tegumentis priùs ſeparatis perioſtæum abraſum fuiſſe in operatione Clar. *Haenii*; quæ quidèm methodus, licet à nonnullis forsàn commendata, nihilominùs & ratiocinio & experientiæ repugnat; nec-non quàm plurium ſapientiſſimorum in arte virorum praxi adverſatur. Enim verò in his circumſtantiis non ſubitaneæ non violentæ revulſiones, derivationes, aut evacuationes movendæ ſunt, ſed potiùs lentæ, lenes ac perennes obtinendæ; quod quidèm juxtà finem propoſitum rectiùs abſolvi non poteſt, quàm per ſuppurationem quæ ſanè in carnibus movenda eſt, nequaquàm verò in oſſe. Hinc patet calvariam ipſam-met immediaté, id eſt perioſtio denudatam, vri piaculum eſſe; ſolæ carnes urendæ ſunt perioſtiô tenùs, ferè intactô oſſe; tùnc omni periculo vacat uſtio, mirabiles que effectus præſtare valet; ſic *moxam* non ſemel in vertice capitis, contrà cephalalgiam rheumaticam pertinacem, raſâ tantùm-modò parte, cum pleno ſucceſſu adhibuimus. Non mirum itaquè læſas fuiſſe meninges in operatione Cl. *Haenii*, quem caſum ferè ſemper lethalem, modò ſuprà tegumenta vramus profectò vitabimus; carnes enim vim ignis infringunt & innocuam, quantùm ad meninges, reddunt. 2°. Unicum dumtaxàt cauterium in ſuis ægrotantibus adhibuit Profeſſor *Viennenſis*, nec diù fovere potuit ſuppurationem cùm vel pauca vel nulla eſſet. Atqui plura cauteria ſimùl adhibenda ſunt, juxtàque tractum ſuturæ coronalis ex utroque latere, nimirùm inchôando à parte media ſeù in occursû [*commiſſura*] ſuturæ ſagittalis cum coronali [*Fontanellam* in pueris vocant], & hìc loci levitèr vrendum eſt; deindè fovenda eſt ſuppuratio per aliquod tempus, vulneribus aliis poſt alia lentè que coeuntibus. De cæterò experimenta in calvariis cadaverum capta, nil ad rem facere nobis videntur; & reverâ ſagaciſſimus *Batt* & noſmetipſi non-nulla eadem experimenta habemus quæ cum experimentis *Haenii* minimè conveniunt; prætereà quotidiè canes innocuè ſuprà frontem vruntur, quod Gallicè dicitur *Flatrer*. Addendum, quod ſupprà caput cauteria minimè imponenda ſint, quotiès organum iſtud morbi materie, ac, venia ſit verbo, connaturaliſatione quâdam debilitatur. Præterea ſollicitè percontari neceſſe eſt, priùſquàm ad talia auxilia confugiamus, an caput ſit pars mittens, aut pars accipiens. Cavendum quoquè ne ferrum adeò candens vel calefactum ſit, ut cerebrum offendere poſſit; quæ cautio potiſſimùm à noſtris *Arnaldo de Villanova*, *Guido de Cauliaco*, & ab optimo *Lera* expreſſè notata eſt. (Legatur, amabo, opus aureum hujuſ-ce poſtremi Autoris, Chirurgi Cubicularis Hiſpaniarum Regis, qui per quadraginta propè modùm annos cauteriorum artem feliciſſimè exercuit.) Tandèm cauterium exile, formâ que *olivari* in extremo donatum, cannâ ſeù vaginâ argentea obducatur, atquè Uſtio plus aut minùs profundè inſtituatur juxtà ætates varias. Jàm verò, an Uſtiones capitis meritò increpet Celeberr. *Haenius?* videant peritiſſimi & ſapientiſſimi Clinici quos penès judicium eſto.

(1) In adhibendis hujus-modi præſidiis indicationes, ait *Lera*, ſumantur à loco quem occupant humores quorum evacuatio promovenda eſt. Conſiderandum etiàm utrùm humores iſti quieſcant aut moveantur in parte; quod ſi moveantur, tùnc nul-

tantiſſima meritò prædicantur, quatenùs per *carnes perſpirabiles*, id eſt per corpus cribroſum, lentè derivant ac evacuant humores qui textum mucoſum cujuſlibet organi, præcipuè textum *intermediarium*, gravant, vel qui in aliam quamlibet partem præcipuam ſe conferunt. Hæc autem derivatio & evacuatio lentæ ac continentes, ſublevant cum tempore, imò & tuentur organa affecta, proùt directionem meatuum ſensìm commutant, atquè aſſuetudinis vi nec-non actione reciprocâ & aſſiduâ cellularum aliæ in aliam, quamdam versùs fonticulum vel ſetaceum attractionem efformant. Ea etenìm eſt mucoſi textûs conformatio ejuſque univerſalis communicabilitas, ùt omnes quicumque humores in vicinio fonticuli degentes, motûs iſtius directionis aut *tendentiæ*, ex optimo *Lera*, fiant participes, atquè hunc motum, *paulatim factâ acceſſione* (1), remotioribus humoribus communicent, qui tali induſtriâ viis aſſuetis divertuntur. Porrò hæc circumſtantia, dùm hujuſmodi præſidiorum effectum profundiorem reddit, hunc ſcilicèt ad uſquè intimas & abſtruſiores corporis partes adigens, huic quicquam *revulſorium* ſuper-addere videtur (2). Interìm derivatio & evacuatio quas præſtant fonticuli, ſat citò quandoquè obtinentur, nempè quotiès humor organum quodcumque vel textûs mucoſi portionem aliquam infeſtans, ad evacuationem aptus eſt, atquè fonticulus juxtà rectitudinem loci, ut decet, nec-non proximè locum affectum, quantum fieri poteſt, adhibetur.

D. *Avinen* uxor, non longè à Delubro *Divi Petri* decumbens, ulcera depaſcentia in utràque tonſilla, jàm à pluribus menſibus, gerebat quæ nullis cedere poterant remediis. Adhibitô fonticulo ſuper brachium dextrum, viginti ferè dierum ſpatiô prorsùs evanuit ulcus ejuſdem lateris; aſt perſtitit alterum ulcus cùm impediret conſtrictio vel decuſſatio laminarum textûs mucoſi juxtà *Raphæum* generale corporis excurrens (vid. §. IX.), ne derivatio & evacuatio ad ulcus ſiniſtrum protenderentur.

LIII.

Nonnulla alia dicenda profectò ſuper eſſent circà tonum mucoſi textûs peculiariter labefactatum in tunicis ipſiſmet vaſorum, undè varices, fluxus varicoſi, anevriſmata, quidam hydropes &c., ſed manum de tabula ponimus cùm rumor ubiquè ſit REGEM NOSTRUM DILECTISSIMUM variolis laborare. Hôc nuntiô ſolutis aliis quibuſcumque curis, de morbi natura & exitu mirificè ſumus ſolliciti omnes quicumque medici, nec-non affectûs naturali quâdam copulatione, ſæviſſimo dubio franguntur animi civium omni generis. Etenìm in Monſpelii civitate Medicorum patria, quiſlibet etiàm ar-

---

lus quidèm nec revulſioni, nec derivationi, nec interceptioni locus eſt, ſed tantùm evacuationi immediatæ, videlicêt in ipſamet parte, & vice verſâ. Hæc autem doctrina vix diſcrepat ab illa quæ in præſcribenda ſanguinis miſſione dirigere debet, ſervatô tamen diſcrimine inter morbos acutos & chronicos notando. (*V. Pratica de fuentes &c. cap.* VII.)

(1) *Hippocr. Epidem. 6. ſect.* 2.

(2) V. Praticà de fuentes &c. por el Licenciado *Matias de Lera Gil de muro &c.* cap. VII. *en que ſe trata del modo que las fuentes evacuan los humores de nueſtro cuerpo.* pag. 31.

tifex mediocris, quælibet mulier prolem habens, de variolis non ineptè c dèm diſſerere valet; idque eò meliùs quòd in hac urbe dirus ille mor inter morbos mucoſos facilè recenſendus (1), Strages maximas edat f quôlibet quinquenniô. Interìm veſicantia, curantibus Medicis Monſpelie bus & Pariſienſibus congregatis, præmiſſâ ac opportunè repetitâ venæ-ſec ne, diligentèr adhibita fuiſſe accipimus, quod nobis ſpem & animos aliq tenùs addebat. Notum eſt enim quantùm conferat in variolis, veſicanti matura diligenſque applicatio ad extrà deducendam noxiam materiem tr mæandros textûs mucoſi, in caput, pectus & abdomen irruentem, vel his cavitatibus jam propè defixam, nec-non ad alia prava accidentia averr canda (2). *Veſicans* ſuô ſtimulô levem quamdam ſtrangulationem in te mucoſo producit, cujus ope ad partem irritatam convergunt tùm motus t meatus aut cellulæ præfati textûs, & appellunt humores, aliundè per eu dem ſtimulum fibris nerveis inductum, mobiles vel fluidiores, ut opus e redditi. Verùm prò dolor! altè in imis viſceribus, ſeù in textu muc *organico*, adacta venenata materies, proùt tonum vel ſenſum fibrillar evertebat, textum mucoſum ipſummet & humores ſubdolè peſſundaba donèc ſuſceptâ in hoc textu atquè in humoribus corruptela, irritis quib libet remediis REX ISTE AMANTISSIMUS, ſerpente ubiquè gangre obſeſſus, migravit ad ſuperos, Verſaliis X. calendas Maii præſentis anni... ... Obverſatur antè oculos veneranda admodùm ejus effigies marmorea q ædes hujus-ce Lycei jàm ſuô nomine beati, inſigni favore condecorari v luit, tanquàm vultu nos adhortaretur, exercitationibuſque academicis ſ numine præſideret. Aſt profondiùs adhùc infixa hærent cordibus noſtris, Reg lis ejus Beneficentiæ, Benignitatis ac ſummæ humanitatis lineamenta inde bilia. Tota hodiè ſpes noſtra, totumque ſolatium in Rege LUDOVICO XV meritò reponitur, cujus imperium, jàm in aurora ſua, auſpicatam ad diem pollicetur nobis. Dii faxint ut avorum exemplis ſuôque ergà popul innatô amore commotus, artem ſalutis hominum conſervatricem, benevo reſpicere dignetur, ſuôque Regio Patrocinio faveat ANTIQUISSIM MONSPELIENSIUM MEDICORUM ACADEMIÆ quæ, omni ævô, A chiatros Regibus noſtris ſuppeditavit, ab HENRICO I. ad uſquè LUDO VICUM XV. æternæ memoriæ, qui tres Archiatros hujus-ce ALM PARENTIS liberos, ſucceſſivè habuit (3).

---

(1) Vid. *Roederer & wagler de morbo mucoſo.* Et Trait. de la p. v. des enfans &c.

(2) Vid. traitement de la petite verole des enfans &c.

(3) Medicos Monſpelienſes in Archiatros ſibi elegerunt Reges Chriſtianiſſim HENRICUS I. LUDOVICUS VIII. PHILIPPUS AUGUSTUS. PHILIPPUS IV. CAR LUS VI. CAROLUS VII. LUDOVICUS XI. CAROLUS VIII. FRANCISCUS I. CAR LUS IX. HENRICUS III. HENRICUS IV. LUDOVICUS XIII. LUDOVICUS XIV. E LUDOVICUS XV. Ex ea recenſione, utiquè mirum videbitur eruditum autore Elogii hiſtoricis Facultatis Medicinæ Pariſienſis, Archiatros Regum noſtrorum per omnes, Medicos Pariſienſes voluiſſe (*vid. Eloge Hiſtor. de la Faculté de Méd. de Par* du 16. Octobre 1770.)

FINIS.